





664. Polit.

CHRISTOPHORI  
FORSTNERI

AUSTRII,

*OMISSORVM IN NO-  
TIS AD TACITVM,*

Liber singularis.



ARGENTORATI,

Impensis Heredum LAZARI ZETZNERI

Anno M. DC. XXXI.

Illustrissimo Domino  
DN. PETRO HENRICO  
à STA LENDORF. L. B. PRO.  
CANCELLARIO IMPERII  
ROMANI,  
Christophorus Forstner Austrius S.

**I**llime Domine. Magnam rem ausus sum hoc libello. De Principum, quos haec aut superior etas tulit, consiliis & actionibus, prudentiam vel errore aliquo insignibus judicium mihi ipse sumpsi. Ea licentia excusare se tibi non potest, nisi ingenuitate & modestia suâ. Neminis infensa est, vel obnoxia: nec aut petulanter exultat, aut rursum fædâ adulazione se demittit. Innoxia libertas est, & fortasse, plus quam incensurâ decet, verecunda. Huius mei iudicij, ego te, Domine, Iudicem facio; cui præter mortalitatis legem hactenus soli contigit, **NUNQVAM ERRASSE.** Ratisp. Prid. Cal. Septemb. M. D C. XXX.

TRAOTV TÖR  
1. JUNI 1541. LIBRARIJ ALEXANDRI  
XXX. D. 15. OGRIA

# CHRISTOPHORI FORSTNERI

AUSTRII

*Omissorum liber.*

Ad librum I. Annalium.

¶ *V*antò quis servitio promptior: opibus & honoribus extollebantur] Intempestiva libertas plerumque esurit. Obsequium dominantibus magis probatur. Pertinet huc Hērici III. Galliæ Regis consilium, qui cum sè bellō contra Protestantes nihil proficere cerneret, doleretque pace, otio, Regni fœlicitate debellandos cēsūit. Nimirū in illo sereno omnia à Regis benignitate pendere: nullas ex turbis spes esse aut prēmia: quātò quis Regi obtemperantior, opibus & honoribus extollendum. Igitur non tam odiō eos, quā contemptu prosequutus est; honorum aditū, & spe regiorum munerum omnino p̄æclusa. Procerum filios in aulam missos ab interiori amicitia gratiaque seponebat; subornatō interim Espernoniō, qui religionis causa id fieri per amicitię speciem in arcano moneret. In urbibus, his, qui Magistratum gerebant, si Protestantes essent, negotium molestis litibus facessebatur; quarum cognitionem ipse Rex sibi sumebat, ferebatque contra hostes sententiam. Intercessit his consiliis Henrici Guisii ambitio: qui cum pace

A 2 nullum

nullum sui in regno usum fore metueret, Regē  
invitum in bellum traxit.

¶ *Eadem magistratum vocabula.]*  
Quomodo hoc eod. libro Tacitus de Tiberio:  
**Cuncta per Consules incipiebat**, tanquam vetere  
Repub. Iterum: Intercessit Valerius Agrippa; incre-  
pitusque est Galli Asinii oratione: silente Tiberio,  
qui easimulacra libertatis Senatui præbebat. Et  
lib. 3. Annalium: Tiberius vim principatus sibi fir-  
mans, imaginem antiquitatis senatui præbebat, po-  
stulata provinciarum ad disquisitionem Patrum  
mittendo. IV. Annal. sua Consulib. sua Prætoribus  
species. Eod.lib. multa ad severatione, quasi aut le-  
gibus cum Silio ageretur, aut Varro Consul, aut il-  
lud Resp. esset, coguntur Patres. XIII. Annal. ma-  
nebat nihilominus imago quædam Reipublicæ. Cæ-  
tera in Notis dixi.

¶ *Trucem Agrippam, & ignominia  
accensum. ]* Aspera plerunque & immitia il-  
lorum regnandi initia sunt, qui, dum privati es-  
sent, injuriis exacerbati, earum sensum in soliū  
inferunt. Benè, & in spem boni principatus  
appositiè Nero differuit, Iuventutem suam ar-  
mis civilibus, aut discordiis domesticis minimè lim-  
butam, nulla odia, nullas injurias, nec cupidinem  
ultionis adferre. ( Tacit. XIII. Annal.)

Præterea hîc monendi sumus, eos exercituū  
duces, qui rebelles civium spiritus contuderūt,  
imprudenter domitis provinciis Præfectos im-  
poni,

poni. Nam truces fore, & belli contumaciâ accensos credere par est. Cujus rei lugubre exēplum sunt Belgium & Ferdinandus Albanus. Consultius igitur, novos mittere Præsides, qui *sine hostili ira, & superbia victoris clementer deditis consulant.* ( Tacitus XIV. Annal. )

*¶ Legiones, Provincias, classes, cuncta inter se connexa.]* Quamdiu libera urbs egit, atque à Senatu populoque Duces legebātur: fuere semper in armis Italix populi, qui bui terræ sibi marisque imperium pepererunt. Postea verò, quām Cæsar Augustus bellis civilibus confectis rerum potitus est, omnia Italicis arma ademit: militumque multas legiones descriptis, easque certis auctoramentis habuit stipendiarias; quæ Romanum à barbaris nationibus tuerentur imperium. Tum fluviorum magnitudine atque fossarum, montibusque asperrimis, desertisque locis atque imperviis circumseptos Imperii limites communivit ( Herodianus lib. 2. ) Legionum classiumque numerum recenset, lib. I V. Annal. Tacitus Augusti consilio institit Theodoricus Ostrogothorum & Italix Rex, qui exarmatis Italix, & Castellō Verrucā ad Athesim munitō, apud Augustam Prætoriam Herulos collocavit. ( Orlandus Malavol. in histor. Senen. Hieronymus Rub. in Histor. Ravenn. ) Sultani Aegyptii non aliam, quam Mamlichorum militiam habebant. Ii autem o-

īmnes, ut Leo Africanus, & ex eo Petrus Biza-  
russcribunt, Christiani pueri erant, Sultanis  
venditi: qui abjurata patria religione Saraceni-  
cīs moribus, institutis, armis erudiebātur. Tur-  
cæ denique Spahorum equitum, & Ianizarorū  
peditum fide & fortitudine, quam pepererunt,  
īmpérii molem conservant. Cæteri, ut Renā-  
tus Lusinga tradit, non armis, non equis, ac  
ne cultris quidem, qui mucrones habeant, uti  
possunt. Ex quibus constat, libertati proprius  
esse, & Reipub. magis proprium, omnes in uni-  
versum cives, & sine distinctione armatos at-  
que bellicæ rei peritos habere: quales Romani  
fuerunt. Regiæ verò dominationi securius est,  
præterquam illis, qui pace belloque perpetua  
stipēdia faciūt, armorum usum omnibus inter-  
dicere. Quod Augustum, Theodoricum Re-  
gem, Sultanos Aegyptios & Turcarum Impe-  
ratores factitare solitos dixi. Sed quæ ab armo-  
rum immodico studio ( sive penes universum  
populum illud sit, sive principū arte inter pau-  
cos retineatur. ) mala, quæ item inde bona ti-  
menda sperandaque sint, dixi ad lib. IV. Annal.  
( verb. plerunque inopes & vagi &c.)

¶ *Inter se connexæ.*] Maximorum Impe-  
riorum incommodam molem esse, ad lib. IV.  
Annal. ( verb. Princeps proferendi imperii incurio-  
sus ) pluribus asserui. Sed hoc maximè locum  
habet, si disjunctæ sint inter se locis, moribus,  
inge-

Ingeniis subjectæ provinciæ: si nostris ditionibus interjecti hostes aut æmuli. Quâ ratione Persicum regnum debile Xenophon, & nostri Politici Galliæ regnum, ut benè compactum corpus Hispaniæ viribus & potentiâ minimè cedere dicunt. Romani ad vastissimi Imperii conservationem limitem legionibus, Castella præfidiis muniebant: Colonias, ad imbuendas legum officiis devictas gentes deducebāt. Etiam receptum erat, ut haberent instrumenta servitutis, & Reges (Tacitus in Agric. de hoc ærcano dixi ad lib. 6. verba: ut genus Arsacis &c.) quibus integra regna, florentissimasque gentes regendas dabāt. Idem amicitiæ vinculum cum populis quibusdam ipsis intercedebat: quos fæderatos, ut Reges amicos appellabant. Tales memorantur Masinissa, Iuba, Attalus, Eumenes, Prusias, Cogidunus, Antiochus inservientium Regum ditissimus ( Tac. II. Annal. ) Massilienses, Hedui, aliquique. Hispaniarum Rex patrociniô Genuensem, & affinitate cum Allobrogum Principe contractâ, regnorum suorum diffusam magnitudinem connectere tentavit: quod an assecutus sit, aliorum judicio relinquo. Sanè non semel infida Allobrogis amicitia apparuit: & Genuenses aurum magis Hispanticum, quam Hispanorum Imperium amare videntur. Quod autem Joh. Boterus Hispanum maris dominum validâ classe cunctis regnis provinciisque præ-

stò esse posse, & ideò nec disjunctas eas assisterit; id me non capere fateor. Quid enim? quomodo in utrasque Indias, apertò ultimi, & quod si ne terris putabatur, maris secretò Batavi & Angli penetrare potuerunt? Cur tot ex Indiis redeuntes Hispanicæ naves ab iisdem interceptè? Quomodo ante non ita multos annos Gades ipsæ vi expugnari, & trucidatis præsidiariis incendi potuerunt? Sanè aut insignem Senatus Hispanici væcordiam esse oportet, aut vires sibi deesse fateantur necesse est, qui hostem toto mari vagantem non coercent.

¶ *Proscriptionem civium, divisiones agrorum.*] Quod hîc scripsi, vi parta Imperia non nisi per vim servari: & periculum ex misericordia: illustratur Vellei Paternuli his verbis: *Laudandum experienti consilium est Panæatque Hirzii, qui semper dixerant Cæsari, ut principatum armis quæsitus armis teneret.* Ille dictans, morise quā timeri malle; dum clementiam, quam præstiterat, expectat, incautus ab ingratis occupatus est. (III. històr.)

¶ *Pompejum imagine pacis*] Persto firmus in eo, quod hîc scripsi, plus Hispaniæ Regem contra fæderatos Batavos duodecennali- bus induciis, quām quadraginta annorum bellis profecisse. Nam inde discordiæ, negligentiæ, ac incuriæ aperta fenestra, & per eas majori vi, quām per ruinas urbium & machinarū belli-

bellicarum violentiam labefactata est res Belgica. Præfigi malorum fuerunt jam olim Batavii, cum Anno à Christo nato cī cī xcii. numeros cuderent, cum inscriptione: Tuta salus bello. Et: Pax patet insidiis.

Eod. loco dixi, Turcas veteranum semper militem, nostros novum inexpertumq; in acié educere. Huic incommodo ut mederetur Rodolphus Imperator, superioribus annis Ratisbonæ in comitiis in continuum quinquenniū militem ab imperii ordinibus petiit: additō, Matthiam Corvinum Regem parvā quidem, sed lectissimā & sub signis assiduā fortissimorū militum inanu, quæ ab armorum colore Nigra vocabatur, sæpè ingentes Turcarum exercitus fudisse.

¶ Post Antonium Tarentino Brundusinoq;  
fædere.] Clemens VIII. Pontifex Henrico IV.  
Gallia Regi fædus cum Elisabetha Angliae Re-  
gina, allegati, respōdit: Principes sibi omnia per-  
mittere, quæ sibi utilia putat: & eò rē devenisse:  
ut ob fæd⁹ neglectū nemo reprehendatur. Lau-  
dabat quoq; Frācisci Marię Urbini Ducis dictū,  
privatū quidē ob nō servatum jusjurādū meritō  
culpari: Principibus autem regni servandi cau-  
sā licere contrahere, nec contractum implere,  
inire fædera, eaq; negligere, mentiri, prodere,  
& quæ his similia sunt. Quod Ossatus Cardina-  
lis in epistolis scriptum reliquit. Henricus IV.

A 5

Gallie

Galliae Rex, cum in eo esset, ut pacem cum Hispanis ficeret, Anglis fidem reposcentibus respondit: Reges non aliter inter se pacem & federa facere, quam cum hac tacita conditione, ut quod rebus suis utile est, semper amplectantur: quod perniciosum est, cautè devitent. Itaque à se exigi non debere: ut bellum periculoso eventus cum Hispanis, quam cum iisdem pacem rebus suis salutarem habere malit. Vide quæso, ut omnibus in ore fides est: quam tamē rebus suis damnosā nemo servare velit! Omnes Machiavellicam perfidiam ore detestantur: cōsiliis & actionibus suis exprimunt.

*¶ Cum proferri libellum, recitariq. jussit.]*  
 Cæteris, quos recitavi, principibus, qui breviarium Imperii sibi confecerunt, adde Guilielmū primū ex Normannis Angliae regnū, qui quicquid Gentium suo pareret imperio, ciuitas simul urbes, oppida, vicos, pagos, Episcopatus, cœnobia, quantum quisque terræ possideret, quantum quotannis vectigalium acciperet, milites quoque, qui stipendia ficerent, ac singula juga boū passim omnibus locis recenseri, in que tabulas referri jussit. (*Polydor. Virg. IX. hist. Angl.*) Quod dixi, ex præteritâ regnum conditione de hodierno statu iudicari non debere, exemplis demonstrandum est. Itali Parisiorum urbem octingenties mille hominibus habitatā credunt. *Francisc. Bocch. de magn. Rom.*) & tamē

anno

anno post Christum natum cī cī lxxx. peste  
grauante adeò desolata erat, ut plebs per vicos  
aliás frequentissimostrochō luderet. (*Thuan.*)  
Genuenses aliquando sexcentarum viginti se-  
ptem navium classem in mare deducebant (*P.  
Bizar.*) Ex urbe Pałavina olim in hostem edu-  
centum viginti millia (*Iac. Cavac.*) Quæ u-  
tique præsentī conditioni minimè respondent.

*[P]ollionisq; A sinū patris ferociā retineret:]*  
Non muto, quod integras familias rebellionē  
infames in historia notavi. In Anglia tamē non  
tam ad infamiam, quām generis claritudinem  
pertinet, majores habuisse magnarum conju-  
rationum duces aut consciens. Et eorum, qui ma-  
jestatis crimine damnati ac suppicio affecti  
sunt, liberis ad honores aditus minimè præ-  
clusus est. Quām prudenter, non dico.

*[T]um primum è Campo ad Patre trans-  
lata comitia.]* De hoc regiæ dominationis mu-  
nimento dixi ad lib. VI. (*verb. plebem primoribus  
tradidit.*)

*Intermisserat munia solita.]* Non in mi-  
litia modo & castris salutaris cautio est, la-  
bore subigere militem : sed in universum in-  
ter singulares publicæ tranquillitatis tuendæ  
modos & hīc traditur, expeditionibus bellicis  
occupatos tenere subjectos populos, ne in a-  
lia facinora ociosus ardor erumpat. Ita Ro-  
mani quanquam Faliscorum obsidionem rem

A g longi

logi temporis & immēsi laboris esse haud igno-  
 rabant : tamen ne domi resedes tribunitiis con-  
 cionibus ad res novas impellerentur , quibus  
 nulla ex honesto spes , & omne in turbido con-  
 siliū : implicari quamvis diffīcili bello po-  
 pulum satius duxerunt . Et hoc remedio ple-  
 rumque utebantur , ad motus turbulentos ex  
 civitate ejiciendos , ut Plutarchus scribit in  
**Camillo.** Dionysius Syracusarum Tyrann-  
 nus , grave otium regno suo ratus , copias in  
 Italiam trajecit (*Iustin. XX.*) Et Demetrius oc-  
 cupatō Syriæ regnō novitati suæ otium pericu-  
 losum ratus , ampliare fines regni & opes auge-  
 re finitimorum bellis statuit . (*Iust. XXXV.*) Por-  
 rò Dionysius Halycarnassæus VIII. Antiq. pro  
 regula tradit , prudentes Reip gubernatores se-  
 per alere bellorū semina : quippe satius esse foris  
 cōflictari , quā domi . Qui in causas accuratiū  
 inquirūt , cur Hispaniā hodiè nullis bellorū civi-  
 liū fluctibus agitetur : cū ex contrario Gallia ab  
 iisdē ferè nūquā interquiescat , inter alias eam  
 quoque meo judicio mirè probam adducunt :  
 quod Hispania perpetuò bellis externis insudet :  
 cum Gallia ferè solis civilibus armis robur suū  
 viresque impendat . Nec regnum Hispaniense  
 ab intestinistatum discordiis tranquillum hæc  
 causa præstat , sed & ab externâ vi tutum reddit .  
 Nullibi non Hispana arma sunt : omnibus bel-  
 lis immixti Hispani sūt : omnia tentant , omnia

mo-

movent Hispani. In Italia, Gallia, Germania; ubique postremò Hispani summæ rei arbitriū sibi sumunt, nullibi quām domi suæ imbecilliores. Ita dum omnes occupatos tenent, dum bello alios exercent, dum dissidiorum semina aut ipsi serunt, aut callidè fovent: procul externa arma ab Hispania tenent, & securi ex litore alienum naufragium contéplantur: Duostamē hīc scopulos offendō. Nam qui hoc pacto à subjectis sibi securitatem procurant, dum exterritos temerè laceſſunt, ruinam sibi sæpè accersunt. Injuria enim vindictam provocat. Ita sæpè fit, ut qui alieno inhiant, sua perdant. Hæc enim bellorum spargendorum solertia non minorum dominorum, sed potentium principum est, qui uno loco acceptam cladem è vestigio resarcire posſunt. Cæteri aliis artibus institunto. Denique meminerit, qui hæc leget, internæ pacis conservandæ hunc esse, non ampliandi regni modum. Sæpè enim accidere solet, ut qui pluribus manum injicit, nihil apprehendat. Alter scopulus, quem hīc signo, est: semper nimium armorum studium perpetuitati regnum & Rerum pub. adversum fuisse: quā de re quam amplissimè dixi ad lib. IV.

*Ferrum parabant: ni miles Nonanus, preces & adversus aspernantes minas interjecisset.] Non erit alienū hoc loco quærere, an Princeps civium suorum in se mutuò levientiū alteri*

älteri parti, cuius æquior causa videbitur, se  
jungere, an spectator potius alieni furoris esse  
debeat? Sanè, ubi sperari potest, Principem in-  
terventu suo alteram partem perterrefacere, &  
hoc modo ad officium cogere posse: quin consi-  
lio & adversum aspernantes minis, denique vi  
civili bello finem imponere debeat, dubitan-  
dum non est. Quomodo Ferdinandum Gon-  
zagam Germanorum & Hispanorum militum  
jamjam in mutuam cladem ertiptura dissidia,  
minitando, iis secum Italiam accessurum, qui pa-  
cem respuerent, composuisse Julianus Goseli-  
nus tradit. Sed ubi dubius exitus esse potest, &  
longo bello materia: nemini uni adeò indul-  
gere Princeps debet, ut ipse in partes & factio-  
num odia descendat. Nam & indecorum est at-  
trectare, quod forsitan non obtineatur; & utrique  
particoli, nec suspectum haberi, quām alteram  
sibi hostem facere præstat. Quò pertinet, quòd  
Leonem X. Pontificem imprudenter egisse nō  
nulli differunt, cùm damnata Lutheri causā;  
quæ initio Pontificis Majestatem in dubium  
non revocabat, Sylvestro Prierati & sociis ac-  
cessit. Quin imò satius fuisse, libertatem ca-  
lami, quem utique utrinque Pontificis censu-  
ræ subjiciebant, in Monachis ferre, sibique sē-  
per integrum servare judicium, quām præcipi-  
ti damnatione alterius exasperare ingenium. Et  
hæc distinctio servanda erit, quotiescumque al-  
teræ

tera dissidentium partium Majestatem principis manifeste non oppugnat. Nam si id fiat, omnino alteri factioni Princeps nomine, auctoritate, vi suâ robur addere debet. Quâ in re Henricum III. Franciæ Regem graviter errasse censent, qui cum Guisianam factionem sibi & regno perniciem machinari nō ignoraret, neutrī tamen favere, quām Henrici Navarræi partibus accedere maluit. Sed quia hac de re dicere occæpimus: potrò explicemus, an duobus inter se principibus bella gerentibus, qui uni horum vel utriusque vicinus est, medium se gerere, aut accedere alteri debeat? Sed profectò ad hanc quæstionem vix potest simpliciter, & sine multâ cautione responderi. Illud certum est, magnum & suæ potentiaë vi nixum, principem utrumque tutò facere: Nam si uni suas vires jungat; prona erit victoria, & certus victoriæ fructus. Ex diverso, qui nimià vitium imbecilitate alienæ injuriæ exponuntur, sive alterius partis amicitiam, sive neutrius profiteantur: vix unquam impudent, quin præda victoris & Iudicis esse cogantur. Nam priori casu, si belli fortuna tibi & federato contrâ dederit, uterque tantum habebitis, quantum victoris libidini placuerit: sin viceritis; ad leoninæ societatis legem victoriæ commodum socio, tibi labores, sanguis impensæ cedent. Posteriori casu utramque partem, et si non verbis, re tamen hostem senties.

fenties. Transitum militibus & commeatum concedere, insolentiam & avaritiam Ducum, licetiam militum perferre necesse habebis. Nec hujus patientiae ullum est precium. Nam quæ uni imputas, eadem illius hosti concessa gratiā omnem corruptunt. Postremò, qui vincet, inde te pro hoste habebit, quia amicus non fueris.

**¶ Tristissima quoq; maxime occultantem** ]  
 Dixi supra (hoc lib. verb. Latiq; interdum nuntii) velocissimè plerunque de principū morte famā diffundi: ideoque excessum eorum suppressiendum: donec provis, quæ in rem sunt, de certō successore transactum sit. Sed & cæterorum quoque negotiorum publicorum, cladi, victoriarum casus fama portentosâ celeritate procul dissitis locis sæpè nuntiassē memoratur: quod non nisi Spirituum Geniorūq; per aërios tramites incredibili perniciate volantium ministeriō fieri potuit. Plura ex veteri historia exempla prudens prætero. Ex recentiori clarissima duo recensebo. Florentinis grave bellum erat cum Gregorio XI. Papa: quod non nisi post triennium Pontificis ipsius morte finiri potuit. Anno post mundi Redemptorem natum M. CCC. LXXVIII. Serezanam Papa, Florentinorum Procuratores, aliorumq; Italiæ principum oratores, pacis conficiendæ causâ convenierant. Cūmq; Florentiæ summum in omnibus

bus & impatiēs desiderium pacis esset, & qui-  
 cunque per portam, quā Serezanā venit, in-  
 grediebātur, anxiā curā de negotii successu per  
 plures dies interrogarentur: tandem VI. Kal.  
 April. circa secundam noctis horam immani-  
 bus pulsibus porta civitatis cohорruit. Accur-  
 runt vigiles, & quis? unde? quare hoc tempo-  
 ris veniat? querūt. Respondet ille, quisquis erat  
 oleæ ramū manu prētendēs, Serezanā se venire,  
 prosperē rei nunciū. A pertā igitur portā, nūcius  
 quidem nullus, cæterū oliva ibi appēsa videba-  
 tur: & illicò quasi certæ pacis rumor totam ur-  
 bem pervagabatur. Subita igitur hilaritas: &  
 ubique concurrebant: manibūsque , ut quis-  
 que advenerat, plausis, novam tranquillitatē  
 sibi gratulabantur. Inde festus clamor, choreæ,  
 ignes, & cætera lætitiae ostentamenta. Con-  
 stitit posteà , ipsā horā , quā Florentia isto spe-  
 ctro turbata est, Pontificem Serezanæ mortuū:  
 & sublatō è rebus humanis hoste, pax tantope-  
 rē desiderata populo Florentino contigit. Hāc,  
 aliasque id generis historias narrat in disput.  
 politicis Apollinaris Calderinus Ravennas.  
 Ego his geminam addo ex Thomæ Fazelli hi-  
 storiā rerum Sicularum. ( lib. XXVI. ) Syracusæ  
 à Saracenis gravissimā obsidione premebātur.  
 Adrianus Brasinius Patricius à Basilio Imperat.  
 ad succurrēdū missus, ignavō mari & malacia in  
 Peloponneso apud Hieracis portū detinebatur.  
 Quæ causa fuit, vi captæ interim urbis. Ejus

B

rei

rei nuncium Adrianus eodem diē in Peloponneso habuit. Quippe pastores paludem portui, ubi stationem Græci habebant, proximam accolentes pridie captas Syracusas cotistanter asseverabant. Interrogati, unde id scirent? à dæmonibus in suâ palude habitantibus id se accipisse responderunt. Cumq; Adrianus pastoribus fidem adhibere nollet, & ipse ad paludem accessisset, percontantibus pastoribus Spirituum voce ipse triste responsū suis auribus accepit. Nec multò pōst, qui ex clade evaserant, dæmonum indicium confirmārunt.

*[Nullis certis mandatis.]* Satiusesse, quādam ministrorum, in bello maximē, prudentiē relinquere, quām nimium strictis mandatis rerum gerendarum occasiones corrumpere, recenti exemplo docemur. Immanis ille viarium maritimatum paratus, quem in Angliam effudit Philippus II. Hispaniarum Rex, non aliam magis ob causam successu caruit, quām quod Medinæ Sidoniæ Dux Classis Imperator, semper Regis contraria mandata causatus, omnes rei benē gerendæ occasiones omitteret. Nam ut in terrestri expeditione ducis potestas certis limitibus circumscribi possit: Ita in maritimis tām strictè itineris & rei peragendæ ratio præscribi non potest. Maximē fortuitorum capax mare est. Opportunitas vēti, temporis, celi, fluxus ac refluxus, tenebrarū, lucis, & locorū profunditatis diversa consilia exposcunt.

¶ VI

*¶ Ut sunt mobiles ad superstitionem per-  
tulsa semel mentes.] Ferdinandus Catholicus  
Hisp. Rex omnes suas cupiditates colore reli-  
gionis texit. Et tamen jurisjurandi religio-  
nem hic tantæ pietatis Princeps adeò neglexit,  
ut ipse Consalvus Magnus non semel in  
magnorum virorum coronâ de fluxâ ejus fide  
conquestus feratur. Inde ejusdem jocus in  
vulgus emanavit, dicentis: ejus se Numinis  
metu adstrictum Principem suum, cuius ma-  
jore reverentiâ tangeretur. Quô dicterî parū  
sinceram in eo de religione Christianâ opinio-  
nem, adeoq; Judaismo infectam (quâ labe ho-  
dieq; ex Lusitanis plurimi laborare dicuntur)  
notabat. P. Bizar. XIII. Hist. Genuen.) Idem Fer-  
dinandus cùm aliis principibus acturus, non ex  
optimatibus oratorem legebat, sed ab alicujus  
monasterii solitudine extractum: quod hodieq;  
Hispaniæ Regibus usitatum est. Ita præter re-  
cisos Legationis sumptus fidem quoq; ejusmo-  
di feciales & reverentiam negotio conciliant.*

*¶ Quanquam rudi dicendi, nobilitate  
ingentâ.] Ostentatio multiloquentiæ, & ver-  
borum anxius delectus in Principe nescio quid  
scholasticum sapit. Indigna tantô rege orato-  
ria erat, cum Jacobus Magnæ Britanniæ Rex  
orationem ob temporis brevitatem minus ele-  
gantem in Comitiis regni excusaret. Est aliquid  
in Principum sermone ipsâ horriditate, liberta-*

tateq; , cui à dicentis dignitate gratia accedit,  
**commendabile**; aliquid denique, quod nisi in  
**magnis viris** (quos quia magna faciunt, parùm  
verbis valere, parùm interest) non laudes. Hen-  
ricus IV. Galliæ Rex promptâ ac profluentî elo-  
quentiâ erat, & quæ deceret Principem. Mel-  
chior Cardinalis Cleselius , sive loquatur sive  
scribat, vehemēti quadam enaturali ac ab omni  
foco alienâ eloquentia pollet. Nihil arti, omnia  
naturæ & negotiis exercito ingenio debet.

§ *Extractum cubili Cæsarem tradere ve-  
xillum, intentio mortis metu subigunt.] Non  
carebit utilitate adnotare hîc, quibusdam Prin-  
cipibus, quibus suorum fides suspecta est, usita-  
tam cautionem, mutare cubilia. Abas Persarū  
Rex qui superiori anno decessit, singulis diebus  
plures sibi lectos in diversis cubiculis parari jus-  
sit: unde nemo, ubi Rex dormiret, scire pote-  
rat: maximè, cum unâ nocte pluries surgete, &  
ab uno loco in aliud transire soleret. Quæ pro-  
videntia Henricum quoque III. Angliæ regem  
morti eripuit. Nam cum miles quidā incogni-  
tas ob catifas Regi infensus per fenestram no-  
ctu cubiculum Regium ingressus esset, & ferro  
pulvinar, Regē se fodere arbitrat⁹ iteratis icti-  
b⁹ percussisset: cōmodūm accidit, quod Rex eā  
nocte alibi dormiret: uti libro decimō sextō hist.  
Anglicanæ tradit Polyd. Virgili⁹. Similis cautio  
fuit, quā usus est Ladislauis Neapolis Rex, quē  
in*

in castris raro solum, sed prout in militum contubernia incidisset, cum gregalibus, pane, caseo, allio vesci solitum, refert Scipio Amiratus, (*in lib. de vita Ladislai.*) non tam, quod popolare rebatur, misceri militū vulgo, quam quod à venenis, quæ aurea regū pocula miscere solēt, hoc modo se tutum arbitrabatur. Denique scitum est, quod idem Amiratus in parallelis scribit: Heleonoram Toletanam Cosmi Magni Heturiae Ducis uxorem, primis imperii annis & invalidis adhuc novi principatus fundamentis longissima noctium spatia lusu & alea transgisse: non pravā ludendi libidine, sed contra crebras, quæ tūm in maritum detegebantur, coniurationes.

**¶** *Quia plerung ad concilianda vulgi studia eo tegmine pedum induebatur.] Abas Persarum Rex, de quo modò dixi, jucundissimâ comitate exterorum regum gentiumq. legatos apud se habebat. Tartari animalium cornibus pro poculis utebantur: Igitur in his Tar- tarorum legatis vinum miscebat. Moschovitas largis compotationibus ad hilaritatem provocabat. Hispani equis donabantur. Hiberis (quos Georgianos hodiè appellamus) suilla ca- ro, quâ mirè delectatur, apponebatur, quāquam eā vesci Mahomedis lege interdictum sit. Apud eosdem Iberos honoris & reverentiæ genus est, propinatos scyphos humili manu tradere: cùm*

**e**x contrario Persis in more positum fit , alterius  
ori quām proximē admovere , ac penē infunde-  
re : sed & hac in re patrium morem omittere,  
& quæ grata exteris , usurpare Rex solebat.

**[Et quidam bonorum cæsi.]** Nihil tām suā  
naturā bonum & sanctum est , quod noncorrū-  
pat hominum improbitas ! Publicis nominibus  
privatos affectus tegimus . Majestatis judicium ,  
aliorumq; criminum persecutio res est sanctissi-  
ma : & tamen , quoties illa medicina in toxicum  
evaluit ? Inimicitiæ , aut judicantium avaritia ,  
quot homines vita & fortunis everterunt , &  
hodieq; evertunt ? Domitius Corbulo , pluri-  
ma per Italiam itinera fraude mancipum , & in-  
curiā Magistratuū interrupta & impervia cla-  
mitando executionem ejus negotii susceperebat .  
Sed id haud perinde publicè usui habitum ,  
quām exitiosum multis : quorum in pecuniam  
atque famam damnationibus & hastā sa vie-  
bat ( Tac. III. Annal. ) Inter initia Imperii Fla-  
viani , cum nihil æquè fatigaret , quām pecu-  
niarum coquisitio : non jus aut verum Mu-  
cianus in cognitionibus , sed solam magnitu-  
dinem opum spectabat . passim delationes , & lo-  
cupletissimus quisque in prædam correpti . ( Tac.  
cit. II. Histor. ) In Franciā , regnante Henri-  
co II. severissimā proscriptione i batur in illos ,  
quos vulgus per mutatam religionem invisos ,  
Hugonatas appellat : non religionis curā : sed  
ad latiandam cupidinem Dianæ Valentiniæ , a-  
micas

amicæ Regiæ : cui Rex damnatorum ex causa  
Hæreseos bona donaverat. Postremò tributa  
& vectigalia publica rerum gerendarum ner-  
vos esse, quis non lubens admittat? sed quis ex  
diverso adeò nostrorum imperitus morum est,  
ut nesciat, ex illâ messe uberrimos fructus non  
tām ad Principem, quām exactores, quæstores,  
canonicarios, opinatores pervenire? His com-  
modum, Principi invidia cedit.

*[¶ Nam spes incesserat dissidere hostem.]*

Quas factiones externum Principem in alieni  
regni possessionem introducere hīc dixi, eadē  
plerumque instabilis hautq; diuturni Imperii  
causa fuerūt. Cave enim credas, proditione alie-  
ni dominij jugum quemq; emere velle. Inimici-  
tiæ sunt, æmulationes, metus, ambitio, quæ  
peregrinam amicitiam commendant: quas ubi  
causas removeris: qui tuâ operâ non ultrâ ege-  
bunt, odisse te incipient, ex saturatis odiis, &  
subversis æmulis aut conciliatis: gravis est ami-  
citia, quam ut necessariam ante ambiveramus.  
Ut taceam, quod vel nimiâ cupiditatum suarum  
professione, vel superbâ beneficij conscientiâ,  
vel aliâ aliqua causa suspecti plerumque fiunt,  
aut invisi, quos ut tutelares Genios paulò antè  
colueramus. Carolus VIII. Galliæ Rex à Ludo-  
vico Sforza, ut se contra Aragoniorum poten-  
tiam muniret, in Italiam accitus fuit. Ubi me-  
tus cessit, & suspecta Caroli fortuna erat: Lu-  
dovicus ipse cum fœderatis ejiciendo ex Italiam

B. 4.

Caro-

Carolo egregiam operam navavit. Nuper Philippus I. Hisp. Rex unicum labantis religionis in Gallia fulcrum vulgo audiebat. Guisius, Meduanus, Mercurius, Aumalius, Nemorosius in hunc, ut fidei columnen respiciebant: hunc velut Medusæ caput Henrico Navarræo opponerat. Et tamē, cum ille sui, Ernesti Austrii, & Claræ Isabellæ Eugeniæ filiæ in novi Regis electione, rationem haberi vellet, & nimis properè animi sui cupiditates renudaret; repudium Hispanicæ amicitiæ miserunt, quotquot antè ei innexi erant. Angli olim penè universum Galliæ regnum habebant; à Philippo Burgundo, potenti Principe, qui patris necem ultum ibat, velut in possessionem missi. Rex emotâ mente Anglum filiæ maritum, & Genero regnum, Carolo filio posthabito, in dotem derat. Videbatur Deorum hominumque consensus esse & conspiratio in Anglicanam fortunam: cum ecce subito in pejus omnia labi, cunctaque retrò ferri. Henricus, ille Regum flos, illud belli fulmen, & suorum delicium, in medio victoriæ cursu, fatis ostensus tantum moritur; infante regni bellique hærede relicto Mortitur & Carolus Galliæ Rex, ( cogita, quām facile DEO sit, partium vertere fortunam. ) ob læsam mentem eo rerum statu, nō inutilis modò regno, sed perniciosus. Ita non tātum hostis morte, sed & sui Regis excessu res Gallica respirabat, pro fatuo Carolum sapientem imposterrum

rūm Regem habitura. Is cunctādo publicam  
rem restituit, fortunæ minimum permisso. A-  
varicum Biturigum, quod tutissimum ē præsen-  
tibus, arcem belli elegerat, consiliis & astu, ar-  
mis procul ostensis, res hostium moliens. In-  
terea Puellæ Aurelianensis iactu ( sive numi-  
ne afflata illa verè fuit, quod libētiūs credo; sive  
prudēti fraude, quod Iustus Lipsius mavult, in  
scenam producta.) Aurelianum obsidione libe-  
ratum; cunctis ad præsentissimum Dei auxiliū  
animos recipientibus. Porrò & vivo Henrico  
Rege, & eo mortuo in Comitis Sarisberiensis  
& Jo: Talbotti virtute, fortitudine, prudentia  
Anglicarum partium fortuna maximè con-  
quieverat. Horum alter in Aureliani obsidio  
tormenti iactu occisus: alter postea captus est.  
Igitur senescentibus Anglorum viribus, cum  
præterea Burgundus à Carolo Rege, promis-  
sis, precibus, omni ambitu ad reconciliationem  
invitaretur: denique accedente indignatione,  
quod, cùm Aurelianenses non Anglis, sed Bur-  
gundos se dedere vellet, intercessissent Angli:  
dissiliit fœdus & amicitia. Simul Angli Galliā  
cedere coacti sunt.

*¶ Spes incesserat, dissidere hostem.]* Unū  
adhuc suprà notatis addam: Turcicæ potentiae  
ut initium causamque, ab armorum studio, ita  
occasionem ex Principum Christianorum mul-  
titudine, æmulatione, discordiisque fuisse. Ita  
non modò per nostra dissidia invaluerunt, sed

& hodie per eadem tuti sunt illi barbari. Dudū  
 funus essent, & solum in historia nomen, si vi-  
 res & consilia jungeremus. Græci Imperatores  
 Occidentis Principum arma in Turcas pro re-  
 cuperandâ Palæstinâ stricta, omni arte, moli-  
 mine, fraude semper hebetare studuerunt. Cu-  
 jus rei non minima causa fuit religionum inter  
 Græcos Latinosque differentia: qua siebat, ut  
 alteri alterorum periculum vel læti, vel sine cu-  
 râ contemplarentur. Expulsis igitur Palæstinâ  
 Christianis, Turcæ arma in ipsos Constantino-  
 politanos verterunt, dignum persidiæ præm.ū:  
 Accessere odia inter ipsos Byzantinos Princi-  
 pes accensa, quibus occæcati, Turcas ipsos,  
 ut ex historia Joh: Cătacuzeni & Georgii Phră-  
 zze constat, in mutuam perniciem acciverunt.  
 Quod item non sine perpetua nominis sui in-  
 famiâ factitârunt superiorum temporum Prin-  
 cipes: Alfonsus II. Neap. Rex, Ludovicus Sfor-  
 za, Isabella Hungariæ Regina, Franciscus I. &  
 Henr. II. Franciæ Reges. Porrò quæ Christia-  
 norum discordia Turcis immanis potentiaz oc-  
 casio fuit; eadem facit, ut de illâ destruenda  
 nemo cogitet, & quisque in lucro deputet, non  
 lacerri. Causæ dissidiorum sunt vel ab odiis in-  
 testinis, vel à positu terrarum, quibus hic aut  
 ille imperat, vel denique à mutuis suspicioni-  
 bus. Satis loquuntur odia, quibus nos mutuò  
 prosequimur, tot bella, quæ potiorem Euro-  
 pæ partem in hunc usque diem infestant, affli-  
 gunt,

gunt, exhauriunt. Pleraque nationes, nullis  
 privatis simultatibus, sed Principum inclina-  
 tionem & utilitates secutæ, velut iussas inimi-  
 citias acerrimè exercent. Hispani Gallos, & hi  
 illos, & utrosque Angli, & universi Italos, &  
 Itali universos infenos aversosque habent. Et  
 quod lugubrius est, unius nationis homines in  
 bella plusquam civilia & profanis odiis decer-  
 tata exarsisse aut meminimus, aut videmus. Ne-  
 scio quæ insania, quæve furia nostras mentes  
 lymphavit? Belgæ Hispanici Imperii vel asse-  
 rendi vel executiendi causa in Belgas, Galli cōtra  
 Gallos, & aduersus Germanos Germani infausta  
 arma aut strinxerunt olim, aut tenent hodie-  
 que. Sic occupatos quæ salutis publicæ & ju-  
 stissimi belli in Christiani nominis hostes cura  
 subire posset? Nunquam de bono publico aut  
 de communi periculo cogitare vacat iis, qui in  
 suam tantum ultionem, in suam avaritiā, ambi-  
 tionemque explendam vigilarit Richardus II.  
 Angl. Rex in Syriam olim exercitum duxit, &  
 ad eos metus Sultanum adegit, ut jam Hierofo-  
 lyma tradere, & sic cum Christianis pacisci co-  
 gitaret: cùm ecce Philippus Augustus, Gallo-  
 rum Rex, reversus & ipse è Syria, & Richardum  
 infestus, cum exercitu in Normanniam, quod  
 tūm Anglii juriserat, movet: & Richardum  
 tūm publici orbis rebus intentum ad rerum  
 suarum tutelam in Europam revocavit. Vix  
 seculum inde effluxerat, cùm Philippus Vale-

sius omni regni sui mole ad hæc bella transmarinæ pietatis conversus est. Et aderant in auxiliu Navarræ, Aragoniæ, & Bohemiæ reges, multique præterea mortales, quos pietas tangebat. Iam in anchoris classis stabat, quæ quadrageinta armatorum millia veheret: trium anchorum commeatus additus. Exercitus terra iturus trecentorum millium erat. Tam gravem apparatum tantamque spem mundi intervertit Edwardus III. Anglorum Rex, tunc primùm Franciæ sceptrum, tanquam matris Isabellæ hæreditatem aggressus vindicare. Sic in nostra viscera acti sumus; & à nobis superati, triumphos Saracenis Turcisque congesimus.

Præter mutuas inimicitias, Christianorum consilia fœdusq; in Turcas disjungit pericula communi hoste impendentis major, aut tanquā ex longinquo minor & incertior vis ac metus. Quò sit, ut propiores tam voraci incendio aut misere absumantur, aut iniquis pactionibus salutem redimāt. Diu est, quod Pannones & Austriae editiones (Italorum Germanorumq; auxilia mediocra erant.) tanti hostis impetum sustinuerunt: cæteris Principibus Christianis altè securitati suæ indormientibus. Gallis, Anglis, Batavis fœdus quoque cum Turcis intercedit, non ea opinor necessitate, quâ Veneta Resp. coactam cum Turcis amicitiam colit. Nam populus ille mediis undis velut innatans, nequit arare terram, quæ urbi panem suggerat: & insula

salæ iii mari sparsæ, vix in tertiam anni partem  
 frumenta proferre dicuntur: quæ minimo à  
 Turcis petunt sumptu. Præterea mercaturis  
 creville urbem illam scimus: quas intercidere,  
 & consequenter ruere urbem necesse est, com-  
 mercio cum Turcis, & navigationibus in Ori-  
 entem sublatis. Denique præcipua hujus fæ-  
 deris necessitas est, quod Veneti ubique Turcis  
 finitimi, primi eorum impetus excipere necesse  
 habeant: quibus cum soli resistere nequeant,  
 & in reliquorum Principum Christianorum, ut  
 res sunt, fæderib⁹ parū spei sit: sati⁹ ducūt, qualē-  
 cunquecum potentissimo Principe pacem ha-  
 bere, quam certissimo cum rerum suarum da-  
 mno bellum. Nunquam enim aut moverunt ar-  
 ma, aut deposuerunt sine imperii sui diminuti-  
 one. Tertiam dissidiorum inter Christianos  
 Principes velut nutricem esse dixi, mutuas su-  
 spiciones, ob quas nulla tam sancti fæderis spes  
 esse possit. Nam qui ex fæderatis vel potuim  
 commoditate vel aliâ opportunitate bellum  
 expeditius prosequi, aut bello capta facilius tu-  
 eri poterit: reliquorum æmulatione nunquam  
 carebit. Austriaci Principes commodo ditio-  
 num, quibus imperant, situ, armis, pecuniâ, mi-  
 lite penè soli Turcicæ potentiaz opponi possent.  
 Sed plerique fortunas ipsorum augeri nō æquis  
 visuri sunt oculis: imò infringi illorum vires  
 omnes præoptabunt. Adeoque auxilia Impe-  
 trii Principum tuendis potius, quam proferen-  
 dis

dis finibus mittitur: ut Trajanus Baccalinus  
licubi scribere non sit veritus: Satius esse Ger-  
manis, amittere Viennā, quam recuperare Budā.

His igitur obicibus publicū bonum, & cōmu-  
nis periculi depulsionem retardantibus nescio  
sanè, quid in nostris armis, fæderibus, viribus  
spei pōnenidum sit: Legatos belli redemptores  
huciusq[ue] in aulām Byzātinam misimus: scilicet  
ne furiis nostris intercederet hostium miseri-  
cordia, neve ferrum in nostra viscera seviens ex  
manibus nobis eriperent inimici. Sancte Deus,  
Fortis, Magne, Terribilis! Peccatorum hæc à  
te nostrotum pœna est: Tu quidem fædam gen-  
tem, cum tibi visum fuerit, infortunio & exci-  
dio mactabis. Hoc gementes sub tam feræ Ty-  
rannidis mole expectant à te Christiani, hoc  
templa tua, quæ vesani deleverunt: hoc deniq[ue]  
Justitia tua: cuius est tot innocentium sanguini-  
nem fusim barbarorū libidinem, & cætera ne-  
fanda belliarum istarum flagitia vindicare. Sed  
hoc non faciunt federa nostra. Domine! Tu  
armabis manū ejus, quem elegeris, Tu facies,  
Domine Sabaoth.

*¶ Achaiam ac Macedoniam onera depri-  
cantes levari in præsens pro-consulari impe-  
rio, traditq[ue] Cæsari placuit ] Cum Augustus ex  
S.P.Q.R. voluntate imperium singulare, quod  
minus legitimum antè videbatur sibi uni stabili-  
isset: quo regni occupandi omnem à se depel-  
leret*

leret suspicionē; nequaquā totius imperii curā  
 sibi uni deposcit: sed provincias omnes cū popu-  
 lo divisit. Quę pacatę erāt & imbelles, ac à fini-  
 bus imperii longiùs aberāt, militūq; pr̄fidiō nō  
 indigebant, populo tradidit: eas verò, quæ mi-  
 litaribus copiis instructæ erant, quò exercitus  
 omnes, quibus sua magnitudo innitebatur, in  
 suā potestate haberet, sibi retinuit, tanquam eas  
 quoque pacaturus, & denique populo redditu-  
 rus. In eas, quæ populi erant, Proconsules: quę  
 Cæsarīs, Legati Pr̄fidesq; mittebantur. Cæ-  
 terūm, ut tectior ambitio esset, potestatem Rei-  
 pub. constitunedæ & provinciarū ordinandarū  
 in decennium tantū assumpsit Augustus. De-  
 cennio transacto, cum adhuc non ex sententia  
 compositæ res essent, in quinquennium, ac de-  
 inde etiam in tertiu decenniū, & petiit & impe-  
 travit, ita ut successione quienniorum, & de-  
 cenniorum perpetuo imperiū administraverit.  
 (v. Onuphr. Pany. III. Comment. de Repub. Rom.)

## Adlibrum II. Annalium.

[Cæterum Tiberio haud ingratiū accidit.]  
 Occidere, privare oculis, aut naso, in Monaste-  
 rii solitudinem detrudere viros eminentes, &  
 tegnandi suspectos, Tyrannica cautio est. Cui  
 adde, quod Normānici generis in Sicilia Reges  
 super effossos oculos nervos supertalū magnis  
 viris incidere, eosque perpetuo postea carceri  
 mancipare solebant: quod ex Thomæ Fazelli  
 historia constat. Cautionem à Ch R. Besoldo

V. C. Doctore meo, præscriptam : adigere magnos viros ad ducendas uxores & suscipiendos liberos : ancipitem esse, & tam nocere posse, quam prodelle dixi. Rationem dicti in notis habes. Certè Henricus Guisius Gaspari Schöbergio monenti, moderationem servaret, Regis potentiae ne nimium insultaret, plebejo favori ne fideret, ad uxorem liberosq; respiceret, respondit: *Non se duxisse uxorem, nec liberos suscepisse, ut essent, qui ejus consilia inturbarent.* (Thuanus: XCIII.) Carolus Emanuel , qui nunc Allobrogibus imperat, Saluciarum Principatus invadendi eam rationem habuit, quod Deum tam pulchrâ & numerosâ sobole minimè se auxisse diceret, ut ditione , quam à majorib. acceperat, exiguâ contentus esset (Thuan. XCII.) Denique sunt , quibus de magnis hominibus audacter , & plerumque in deterius judicare mos est, qui Mauritio Nassovio, fæderatorum Belgarum summo Imperatori non constituram integratatem fuisse putant, si ex unâ & legitimâ uxore liberos sustulisset. Eodem loco necessario præceptum posui , magna imperia haut diuturna sinere. Quò pertinet, quod Philippus II. Hisp. Rex testamento filium jussit, Pro- reges Indiæ Occidentalis crebrò mutare: qui revocabuntur, consilio Indiarum adhibere, alterosque alteris per vices succedentes, quasi exploratores apponi. Ita futurum , ut nec diuturnâ absentiâ corruptantur, & potius de glo-

ria

fia inter eos per æmulationem , quām de priva-  
to compendio per factiones sit certamen.

¶ *Suum militem haud perinde vulneri-  
bas , quām spatiis itinerum , & damno ar-  
morum adfici: at si mare intretur , promptam  
ipsis possessionem , & hostibus ignorantem: simul  
bellum maturius incipi . ] Vires maritimæ ma-  
gnum pondus addunt expeditionibus bellicis.  
Nam sine his nec miles cogi in tempore , nec  
commeatus & instrumenta belli convehitam  
commode possunt : Milites quoque & jumen-  
ta per inopiam & labores fatiscunt. Denique  
rerum bello necessariarū subvectio terrā longe  
majores requirit sumptus , quām mari. Unde  
fit , ut cum Turcarum Imperatores cum Hun-  
garis & Persis bellum habēt , eundo & redeun-  
do non modò major æstatis pars , sed etiam tot  
milites miseriis & itinerum incommodis absu-  
mantur , ut ferè nunquam lucrum impensæ re-  
spondeat. Nec tamen iis assentimur , qui ma-  
ritimam potentiam terrestribus vitibus præ-  
ferunt , quos ipsa satis experientia refellit. Ne-  
que enim aut Cretenses olim , aut Polycrates  
Sami Rex , qui mille naves armatas habuisse  
dicitur , aut Rhodii , aut Phœnices , aut denique  
Veneti , Genuenses , Pisani , Britanni , Batavi  
quamvis mari potentissimi aut fuerint , aut ad-  
huc sint , in terra continentii unquam latè pro-  
tulerunt imperium. Ex diverso Romani , Car-  
thagini*



thaginenses, Saraceni Græcos Imperatores; Augustus Sextum Pompejum, maris dominio solâ terrestri militiâ, quam in naves transtulerant, penè nullo negotio pepulerunt. Ut proinde falli illos manifestum sit, qui majorem fore Venetorum potentiam putant, si posthahbito Longobardicarum urbium imperio, maritimis rebus, quô cœperant, studio incumbe-re perrexissent. (*vide Boter. X. della ragion distata. & lib. I. dell. Rep. di Venet.*)

**¶ Flumen Visurgis.**] Ad hæc verba adnotavi, moris esse, ut cùm duo Principes conveniunt, is, qui dignitate antistat, prior ad constitutum locum veniat. Honoris enim speciem esse, quod alter posterior, & ad hunc accedere videtur. Consimilis observationis est, quod Arnoldus Oſlatus Cardinalis in epistola tradit; Principum oratores, qui posteriores advenerunt, à cæteris, quamvis majorum legatis primos honoris causâ adiri, salutarique:

**¶ Haud perinde Germanos vulnera, lues, excidia, quam ea species dolore & ira affecit**] Templum Divo Claudio apud Britanos constitutum, quasi ara æternæ dominacionis aspiciebatur. (*Tacit. XIV. annal.*) Genuenses Alfonso Regi quotannis auream pelvim ex pacto mittebant. Hanc cum ille, convocatis omnibus procerib. & populo inspectante, non secus ac devictarum gentium manubias in sublimi

blimi solio, triumphantis specie recipere sole-  
ret; Genuenses inde deficiendi ab ipso causam  
sumpserunt. (P. Bizar. XII. hist. Genu.) Pruden-  
tius Serenissimus Sigismundus Poloniæ Rex,  
Serenissimum Maximilianum Austrum à Sa-  
moscio captum Cracoviam adduci vetuit: ne  
tantæ dignitatis Princeps potius in triumpho  
duci, quam custodiri videretur: neque incen-  
sis semel contumeliâ animis ad reconciliationē  
via præcluderetur. Ad id, quod odia ultra ini-  
mici morte non extendenda dixi, spectat, quod  
Elisabetha Angliæ Regina Mariæ Scotæ ipsius  
sententiâ damnatae, & postea capite truncatae  
exequias c. florenorum cito sumptu instruxit.  
(Thuan. LXXXVIII.)

¶ Nec minor Germanis animus, sed gene-  
re pugnae & armorum superantur. ] Retuli  
hoc loco inter causas, propter quas diuturnio-  
ra nostrorum temporum bella sunt, & cur no-  
stri Principes quanquam potentissimi, non ut  
veteres parvo temporis spatio extedere regno-  
rum suorum terminos potuerunt, tormentorū  
bellicorum incommodam molem & pondus.  
Sed huic difficultati tollendæ facit Abæ, qui  
superiori adhuc anno Persarum regnum tenuit,  
consilium: Sermo erat inter Regis familiares  
de expeditione Ormuzanâ, quam tūm ipse ani-  
mo agitabat: videbaturque impedita plerisque  
ac penè impossibilis; quod naves regiæ portan-

C 2 dis

dis majoribus tormentis, quæ ad arcem feriendam necessaria erant, ineptæ essent. Quibus Rex, Monachis aliquot Lusitanis coram, respondit: Si non potero trajicere integra tormenta; metallum in frusta concisum transportabo, fundamque tormenta in ipsa Insula. Consilium non aspernandum Ducibus, quibus superare montes, aut minoribus naviis transire maria necesse est.

*¶ Ita moderans, ne lenire neve asperare crimina videretur.]* Præmia ipse Princeps tribuere, pœnam non nisi per magistratus irrogare debet. Quod Philo Hebræus pulcrè docet in libro de Abramo, his verbis: Cum illi sapienti (Abraham) oblata esset trium virorum species: duos tantum ad excisam regionem eloquia divina dicunt venisse, ut delerent ejus incolas: cùm tertius indignos adventu suo duceret. Is quantum equidē intelligo, erat ille, qui verè Est: aequum judicans, ut bona per seipsum largiretur, contraria vero exequenda suis potentius relinquere: & sic solorum honorum author præcipuus, mali vero nullus existimatetur. Id quod mihi videtur, & reges ad imitationem naturæ divinæ facere: dum per seipso gra-tias porrigunt, pœnas per alios sanciunt.

*¶ Et quanquam multi è domo Principis furentasse opibus, juvisse consilijs dicerentur, hanc quæsitum.]* Retuli in notis ad librum primum Theodosii Augusti moderationem,

qui

qui cæso Valentiniano rebellium duce, de conjuratis quæstionem agitari noluerit. Hujus consiliū rationem reddit Ammianus Marcellinus: ne formidine sparsā per multos, reviviscerent provinciarum compositi turbines. Interdum alii respectus à pœnarum immaturitate abstinendum suadent. Quidam crudelitatis famam horrent: alii ex paucorum cæde surgentia plarium odia verentur. Viennæ urbis magistratus liberiores de Ladislao Rege Pragæ veneno sublato in Eizingeri, qui eum in Boëmiam deduxerat, invidiam jactas voces cohibuere: non tam Eizingeri amore, quam ne Boemi irritarentur: quos pacatos sibi vicinos, quam infenos malebant. (*Aeneas Sylvius hist. Boem. c. XXI*) Jovius autor est, quanquam veneno perempti Leonis X. Pontificis multa & magna suppeterent argumenta, tamen in autores inquit i vertitum: ne in nomen magni cuiusdam Principis inexpibili cum invidia quæreretur.

[*Invisus Tiberio, quod eum Rhodi agentem nullō officio coluissebat.*] Francisci Simonetæ exemplo commonstravi, Principes ferè reconciliari, & depositas iras in ministros primarios vertere, ac velut ex pacto alteros ab alteris invisos sibi ad pœnam deposcere. En tibi alia duo hujus rei documenta. Hadrianus IV. Pontifex opere procerum Apulorum & Calabrorum, Guilielmo Regi, cum eas provincias ademisset; non multò post, inconsultis o-

C, 3 manibus.

mnibus, cum Rege pacem fecit: Proceribus, qui ab eo defecerant, necessitate, fugâ, sibi salutem quærendi, impositâ. Ex quibus Robertus Capuæ Princeps ad Litim fluvium à suis proditus, oculis privatus, & in carcerem conjectus miserè periit. (Fazell. XXVI.) Friderici Sicciliæ & Caroli Neapolis Regum bella composta sunt; additâ lege, ut Proceres, qui ad alterum Regem transierant, omni patrimonio, quod in violatis regnis possederant, in perpetuum privarentur. (Fazell. lib. XXIX.)

*¶ Tiberius dimoverat Syria Creticū Silanum.*) Notavi hīc, Venetos in majoribus suæ ditionis civitatibus Justitiæ curam, cæteramq; civilem administrationem, & armorum præfeturam nunquam in unum aliquem conferre. Cui addendum est, quod Arnoldus Ossatus Cardinalis in Epistolis præcipit: Vrbis præfecturam, & arcis in eâ sitæ custodiam nunquam unilicui committendam. Idem Ossatus monet, nunquam provinciarum præsidibus concedi debere, ut ipsi civitatibus provinciæ suæ Rectores, aut præsidiis Præfectos imponant. Ipsius Principis id munus esse: eaque in re, ut in plerisque regnandi capitibus graviter errasse Henricum III. Gallorum regem, quod, cùm maximarum provinciarum administrationem gratiosis in aulâ hominibus tradidisset, iisdem civitatibus, quos vellent, Juridicos, quosque vellent Tribunos centurionesque arcibus imponere permiserit.

¶ Of-

¶ Offensus urbi, propria quoq; ira, quia  
Theophilum quendam Aréo judicio falsi da-  
mnatum precibus suis non concederent. ]  
Refragari quanquam injustis desideriis suis,  
injuriam potentes putant. Piso Atheniensibus  
iratus erat, quod eum infra justitiam colebant.  
Rodericus Gomezius Sylva, ille in Philippi II.  
Hispan. Regis gratiâ adeò potens, Piscaræ Mar-  
chioni, tunc Siciliæ Pro-Regi, duos, qui se  
proximo sanguine contingebant, in opulenta-  
rum nuptiarum spem (splendidissimæ enim in  
illo regno dotes dicuntur) commendaverat.  
Cum autem, nisi vis adhiberetur, confici nego-  
tium non posset; & Pro-Rex ab omni injustitia  
abhorreret: duo illi, læsos se, quod Pro-Rex  
potestate suâ usus non esset, arbitrati, & jus  
malevolentiam interpretantes, ex Insula se in  
Hispaniam proripuerunt, questibus aulam &  
Sylvam implentes. Nec à periculo longè aberat  
Pro-Rex: cum ipsum opportuna mors rebus  
humanis exemit.

¶ Ambigua gens ea antiquitus, non mo-  
dò ingenii, sed situ terrarum; quo nostris  
provinciis latè prætena, penitus ad Medos  
porriquitur: maximisq; imperijs interjecti, &  
sæpè discordes sunt; adversus Romanos odio,  
& in Parthum invidia. ] Similis morum Ar-  
meniorum descriptio extat lib. XIII. Annal.  
in his verbis: Armenii ambiguâ fide utraq; arma

invitabant ; situ terrarum , similitudine morum  
 Parthis propiores , connubiisque permixti , ac liber-  
 tate ignota , illuc magis ad servitium inclinantes .  
 Hodiè non valdè absimilis Armeniae Hungaria  
 est : inter duo maxima imperia , Romano-Ger-  
 manicum & Turcicum posita . Cum neutris  
 gentis illius mores conveniunt ; Turcae tamen  
 veteres hostes , & religione diversi , quotidie-  
 nis denique injuriis infesti , sine exceptione ini-  
 mici habentur . Adde vel præcipuam causam  
 (quâ ab Armeniis , quos signata libertate ad ser-  
 vitium inclinare Tacitus ait ,) differunt Hunga-  
 ri quod non alia in isto regno ingentior nobili-  
 tati cura , quam ne quid de iis prærogativis de-  
 cedat , quas à tam multis ætatibus intemeratas  
 habent . Turca autem in unam servitutem o-  
 mnis claritudinis sanguinisque familias pre-  
 mit . Inde ex necessitate in Imperio & Austria  
 Domo quæsumus contra inimicam potentiam  
 subsidium ; & reges ex Germania sumpti : quo  
 tamen inde petere , quam habere , hucusque  
 maluissevidentur . Nam nec Ferdinando I. nec  
 Rudolfo II. nec Serenissimo Nostro Ferdinan-  
 do II. pacata semper illius regni possessio fuit .  
 Suspicax optimatibus ingenium : quod opum  
 & potentiae conscientia , ac vicini Turcae prom-  
 pta auxilia actius irritant . Stephanus Botscaius  
 pon vi , non armis subigi potuit : pace obstri-  
 ctus est . Nuperimè Buthianus cum Turcis in-  
 gendiō , cæde , rapinâ ad Viennæ usque subur-  
 bia

bia impunè evagabatur. Rodolfus Imperator  
 sublatō è medio Andrea Bathoriō Cardinali  
 per Michaelem Valachiæ Principem; ipsum po-  
 stremò Michaelem turbidorum consiliorum  
 insimulatum immisso milite occidit. Sigis-  
 mundo Bathorio, exemplissimo principatu in  
 unum Moraviæ hypocaustrum deportato otium  
 fecit legendis, quibus impensè delectabatur,  
 Senecæ & Lipsii epistolis, atque studiū puti-  
 tati latini sermonis. Nec cum Mose Siculorum  
 fortissimo Duce ad ultimum amicitia constitit.  
 Qui reverenter de actis tanti Principis judica-  
 bant, infelicitatem temporum accusabant; qui-  
 bus sine cædibus & injuria optimè meritorum  
 Principum regnum servari non posse videba-  
 tur. Alii acriùs, familiare, Asustriis esse, dice-  
 bant, in novis regnis parandis sic indigenarum  
 & priuinariorum virorum opibus & operâ ad  
 res suas firmandas uti, ut posteà pro beneficio  
 maleficium reddant; & subeunte fastidiō eos  
 tanquam suspectos, occasione quæsitâ, de me-  
 dio tollendos curent. Cæterum, quod Tacit-  
 tus (XII. Annal.) barbaros Roma petere Regem,  
 quam habere malle; eorumque acres imperus cum  
 flatione languescere, aut in perfidiam mutari, di-  
 xit; præter id, quod de Pannonum gente nunc  
 retuli, aliud exemplum occurrit in Moschorum  
 populo. Stephanus Bathorius Poloniæ for-  
 tissimus Rex Livoniam illis & Plescoviam ar-  
 mis abstulerat; & ad majora aspirabat. Theo-  
 dorus,

dosius, qui Basilio Patri in magno illo imperio  
successerat, nullo judicio juvenis, & nullâ re-  
rum experientiâ erat. Itaque ad externas illi  
opes respectabant. Nec longâ consultatione  
opus. Domus Austriaca propria potentia, fœ-  
deribus & haut occultis in Polonum simulta-  
tibus tantæ fortunæ capax videbatur. Theo-  
dorum juventâ incautum, ut regno inhabilem,  
vel è vivis tollere, vel monasterio includere  
animus erat. Igitur secreti nuncii Pragam ad  
Rodolfum Cæsarem mittuntur, resque tam  
magna in aula Imperatoris summo cum silen-  
tio agitabatur. Et jam parùm ab exitu res ab-  
eile videbatur: cum maximè alieno tempore  
Stephani Regis mors intervenit; magno qui-  
dem imperitorum gaudio, qui domus Austria-  
cæ æmulum, ac penè professum hostem mor-  
tuum publicè lætabantur. Verùm prudentio-  
res, & quibus hujus secreti notitia, excessu  
Stephani Austriacos à tantâ spe excidisse, haud  
vanè augurabantur. Nam Moschi metu, qui  
ipsos ad consilium petendi ex Germania Prin-  
cipis adegerat, soluti, omisso negotio domum  
abierunt.

¶ Petere interim, ne Vonones in Syria ha-  
beretur, neu proceres gentium propinquis  
nuntijs addiscordias traheret.] Ita de Rhes-  
cuporide Thraciæ Rege hoc eod.libro Tacitus  
inquit: *Dammatum in Senatu, ut procul regno  
suo teneretur. Et Antistio Veteri è primoribus Ma-*  
*cedo.*

cedoniae, ut turbido, & Rhescuporidis cōsilio permixta,  
aquā & igni interdictū est: additūq; ut insulā tene-  
retur, neq; Macedoniae, neq; Thraciæ opportunā (Taciti-  
tus III. Annal.) Hoc argumentō Plautum &  
Syllā Neroni invisos reddidit Tigellinus: no-  
bilitatem eorum & propinquos, huic Orientis, illi  
Germaniæ exercitus commemorans (Tacitus XIV.  
Annal.) Et Valerius Asiaticus Claudio suspe-  
ctus fuit, quod genitus Viennæ, multisq; & validis  
propinquitatibus subnixus turbare gentiles natio-  
nes promptum haberet. (Tac. XI. Annal.) Cæsari  
Atestino inter alias transactionis cum Clemen-  
te VIII. Pontifice leges, ea quoque dicta fuit:  
ut intra præstitutum tempus omne patrimoni-  
um, fundosque, quos in Ferrarensi ditione ha-  
bebat, divenderet. Henricus III. Galliæ Rex  
Britanniæ Armoricæ præfecturam Philippo  
Emanueli Lotharingo Mercurii Duci conces-  
sit: cōtradicētibus prudentioribus, & præcipue  
Philippo Huraltō Cevernio: Quod Mercuria-  
nus ab uxore Maria Luxemburgā tanquā Pen-  
teuriæ Domus hærede Jus in Britanniā sibi vē-  
dicaret. Et cùm postea Hēricus IV. Carolo Gui-  
sio provinciæ præfecturam detulisset: idem  
Cevernius regni Cancellarius intercessit: regni  
arcanum esse dicens, ne ulli procerū, qui jus in  
aliquā provinciā haberet, præfectura ejus attri-  
bueretur. atqui notum esse, ab Jolanda, Rena-  
ti Andini, Siciliæ Regis F. prognatos Lotharin-  
gos jus in Provinciæ Comitatu sibi semper vin-  
c 6 dicasse.

dicasse. Denique quibus mortalium actiones profanis tantum finibus metiri solens est, Sigismundum Bathorium Transylvaniæ Principem imprudenter fecisse disputant, quod cum Rodolfo Cæsare contra Turcas fædus fecerit & pro fædere cum Turcis rupto uxorem ex Domo Austriacâ, atque in dotem bellū Turcum acceperit! Ita enim ei belli cum potentissimo hoste gerendi necessitatem impositam: nec in Cæsare satis virium & auxilii: Denique iis qui Transylvaniam Regibus Hungariæ subiectam olim fuisse dicebât, aditum esse factum. (Adde quæ scripsi ad lib. VI, verb. Vrgenus Arsa-  
cis &c.)

¶ Arcibâ cum Rege amicitiâ, eoz aecommodatiorem ad fallendum.] Pari fallaciâ Archelaium Cappadociæ Regem Tiberius matrix literis Romam elicuit. (Tacitus V. h. lib.) & Otto III. Imperator Crescentium in Mole Hadriani ob sessum fide per Tanaum hominem sibi familiarissimum præstitâ sese dendentem, suspendio necavit. Denique Henricus IV. Galliæ Rex Bironum per Petrum Fugæum Escurium, & præsidem Janinum, quibus ille multum tribuebat, (alter etiam castrorum metatoris mure sub eô defunctus erat) in aulam ad suppli- ciu[m] pertraxit.

¶ Remmius Evocatus priori custodiae Regis appositus, quasi per iram cum gladio trans-  
igit.

igit. Unde major fides, conscientia sceleris,  
& metu indicij mortem Vononi inflatam.] Nota hæc facinorosorum ars est. Henricus VII.  
Angliæ Rex Johannem Lincolnensem, quem  
fabulam de Pseudo-Eduardo cuditse suspicaba-  
tur, ut de sociis ex eo rescisceret, interfici vetu-  
erat. Interfectus tamen est in prælio à consci-  
is, metu indicii. (Polyd. Virg. XXVI. Angl.) Com-  
prehenso Scarano quodam Turcâ, qui Canta-  
cuzeno Imperatori insidias struxerat, cùm qui  
circumstebant ad eum trucidandum prosili-  
rent; edixit Imperator, pro hoste habiturum,  
qui ei manus intulerit: sumpturumq; in argu-  
mentum communicati cum eo consilii. (Ioh.  
Cantacuz.lib. III. Hist.)

¶ Missi à Pisone incusabantur, ut vale-  
tudinis adversa rimantes.] Suspectum est  
omne nimium officium: & vix unquam suspi-  
cione carent abhoste profecta amicitia ostend-  
tamenta. Cùm Domitianus Cn. Agricolam  
ægrotantem crebrius per nuncios visiteret, &  
libertorum primi, & Medicorum intimi, cotti-  
diè adessent: non tam curam illud quam inqui-  
sitionem fuisse Tacitus ait, (In Agric.) Frede-  
gundis Chilperici Galliæ Regis primò pellex,  
mox justa uxor, Prætextatum Rhotomagen-  
sem Antistitem in templo sacra peragente  
percutiendum curavit; lethali quidem vulne-  
re, sed cui aliquandiu supervixit. Moesta eos

C 7 ipso

ipso venit visere : sive ut exploraret, sive ut oculos in ejus angore pasceret. Atque ibi belile, ut putabat, dissimulans, questus & iram miscuit, quod in talem virum tantum patratum esset facinus, & author lateret. Sed Prætextatus vicinâ morte liberior : minimè, inquit, latet; & testor mee jus scelere percussum, quæ Reges occidit. Ea Fredegundis erat.

*¶ Obsistente Sentio civile bellum incipi.]*  
 Eadem penè verba eundem in sensum tendentia sunt lib. I. *Si auxilia & socii adversum abscedentes legiones armarentur: civile bellum suscipi.* Seditiones & rebelliones, præterquam uno casu (quem notavi ad hunc lib. II. verb. *Cunctaq; ejus facta, cum prohibere &c.*) adhuc in herba, & antequam adolescent, viresque acquirant, armis, aut quovis modo opprimi debent: certo tūm successu, & nullo regiæ majestatis periculo. Verūm dubiis rebus & ubi ambiguus exitus esse potest; omnia prius tentanda sunt, quam arma: nec nisi ex necessitate civile bellum suspiciendum. Videtur igitur minus prudenter fecisse Serenissimus Sigismundus Poloniæ Rex, qui, cùm Carolus Sudermannus Patruus adhuc omnia ad Regis obsequium, regnique commodum referret, ac, ut verbis fidē ficeret, eodem tempore naves bellicas, quæ regem ex Poloniâ in Sueciam transportarent, Dantiscum misisset: non nisi instructo cum exercitu in regnum venire maluit. Inde suspicōnibus

nibus & quærelis patefactus locus, & denique regii obsequii ejusratio. Prudentius Grimoaldus Longobardorum Rex adversus Lupum Foro Juliensem Duce m defectionem moliente, ne Longobardos civilibus armis imbueret, Ca-canum Hunnorum Regem concitavit. ( *Sigon.*  
*de Regn. Ital.* )

¶ *Haut ignavo ad ministeria belli iuvene-ne Pisone, quanquam suscipiendum bellum abnuiisset.]* Meo tamen consilio & judicio con-sultius fecerit Princeps, abstinere ministrum ab executione consilii, quod non probavit. Vix enim magnis cœptis debitam alacritatem adhi-bet, qui de exitu non bene sperat.

### Ad Librum III. Annalium.

¶ *Nam vulgatum erat, missam à Cn. Sen-tio famosam veneficiis. ]* Sæpè mihi mirari contigit improbitatis ingenium, cùm venefi-cii varias species in historia legi: Ecce, quām so-lerti scelere Britannicum sublatum Tacitus re-fert. Claudio veneno delectabili boletotum cibo infuso necatus. Otto III. Imperator chi-rothecis venenō illitis peremptus. Conradus Friderici II. F. infectō venenis clystere à Man-fredo fratre extinctus. Ladislaus Neapolis Rex ex coitu cum puella ab ipso patre, pretiō con-ducto, venenatā periit. Et ô scelus ! etiam sacrum

sacrum panem, in omnium mātrum, atque  
ad eō æternæ mortis antidoton ab ipso Deo no-  
bis datum, maleficiis succis tinxit, eoque Hen-  
rico VII. Imperat. vitam ademit, vnius mona-  
chi immanis audacia. Taceo, quæ cottidiè  
funera faciunt; facis venenatæ fumus, corrupta  
floris suavitas, fatalis cultelli illita acies, & que  
alia in humana hominum excogitavit immani-  
tas! Magis juvat cautiones hīc referre, quas  
vitando huic malo præscribit Excellentissimus  
Medicus, amicus noster Ludovicus Septalius.  
Initio ait, nihil aut parum præsidii esse in iis,  
qui prægustare Principum cibos & potus solēt:  
Nam & illos, si fidi sunt, falli posse: nec vene-  
ni vires momentò se exerere: denique perime-  
re posse copiosum cibum potumque, qui gustu  
tantum exploratus sine noxa sit. Quod si & ipsi  
hi tales scelesti esse malunt; mille modos esse,  
quibus fallant: posse præsumendo-medicamē-  
ta se adversus noxiā vim munire: posse ven-  
trem priūs multo cibo implete, dein vomitare  
virus: posse illam partem libare, quam veneni  
immunem sciunt. Cæterūm præcepta Septalii  
hæc sunt.

I. Princeps in ministeriis secretiorib. pu-  
erorum magis operā, quam adultorum, & ho-  
rum, quam serum, (nisi & illi exploratæ fidei  
sint,) utitor.

II. Pauci sunt, qui hæc intima ministeria  
eurent. Nam inter multos semper unus erit,  
sceleri paratus.

III. In

III. Indusia, cæteraq; linea supellex à fidissimis asservator: sitque infecta fumo odorifer ex foliis lauri & rosarum.

IV. Reconditas & atrabile involutas metes caveto.

V. Aleæ deditos fugito.

VI. Uno ciborum genere nimis impensè se delectari ne monstrato (adde quæ dixi in his parolipomenis ad lib. I, verb. Extractum cubili Cæsarem.)

VII. Boletos, fungos, ranas ne edito: ne sub prætextu, quod his cibis suâ naturâ maligni aliquid insit, tutius beneficia patrentur.

VIII. Plerumque appositum sibi panem, quæsito colore duriorem esse, aut non satis coctum, mutato.

IX. Si cibus aut potio peregrinum oluerit, aut sapuerit, exspuito.

Hæc Septalius: qui idem falli eos ait, qui se ovorum sorbilem esu tutos putant. Nam & his venenum facilimè infundi. Quod quî sit, equidem non me intelligere fateor. Illud sanè scio, Dei & Gehii tutelam esse, quæ non à venenis modò, sed cæteris quoque insidiarum dolis securos nos & inviolatos præstat. Absq; his nulla cura, nullâ diligentia, nulla denique cautio profecerit.

[*Inter irritamenta domus foro immixtus*]  
Invidiæ irritamentum Pisonis domus foro imposita hîc dicitur. Quæ eadem res sepè affectati

D. princeps

principatus argumentum fuit, aut rebellio-  
nis cogitatæ suspicionem præbuit. Valerius  
Poplicola ex eo, quod Romæ in summa Veliā  
ædificarat, atroci invadendæ Reip. criminis no-  
tatus est. ( *Liv. II.* ) Genuæ olim privatorum  
turres depresso sunt, & ad altitudinem lxxx.  
pedum redactæ. ( *Sigon. XV. de reg. Ital. P. Bizar. I.*  
*hist. Genu.* ) Et ante illa tempora iidem Genuen-  
ses Pisanos hostes suos pertinaci obsidione coë-  
gerunt, ædes suas usque ad unam contignatio-  
nem demoliri ( *Sigon. XI. de reg. Ital.* )

¶ *Atq. utinam ego potius filio juveni,  
quam ille patri seni cessisset.*] Cantacuzenus  
Imperator, in historia gloriæ suæ adscribit, fi-  
lios habuisse, quorum haud raro consilium ex-  
quirebat, & sequebatur. Scipio Amiratus  
in Parallelis tradit; Philippum Valerium jam-  
jam cum Patre, Cosmi Medicæi jussu capite  
truncandum, his verbis uisum: alii quod patrum  
monita negligant, ego, quod nimis patris au-  
toritati obsecutus sum, ad mortem adigor.

¶ *Sibi tamen adversus eum integras.*] Principes nullō se pacto, nullō fædere aut re-  
conciliacione cum perduellionis reo teneri pu-  
tant. Cùm apud Sextum V. Pontif. de Henrici  
Guisii in urbem Parisiorum adventu referre-  
tur; exclamasse ajunt: ô temerarium hominem,  
qui omnis salutis suæ posthabitâ curâ irritatum  
Principem vitæ & mortis suæ arbitrum fecit:  
dein

dein cum à Rege benignè acceptum intellexit,  
clariore voce inclamasse: ô fatuum & ignavum  
Principem , qui inimicum hominem exitio  
suō natū sibi è manibus elabi passus est.(Thuan.  
xc.) Cætera vide sis in Notis.

[*Quām solus & nullis voluptatibus a-  
vocatus mæstam vigilantiam &c.]* Nimium  
frequens Principale secretum , aut in arcana-  
rum libidinum , aut sœvæ cogitationis argu-  
mentum plerumque trahitur. In Tiberii se-  
cessu fœdæ libidines & crudelium consiliorum  
digestio erat: in Julio III. Pontif. nulla pu-  
blici curâ marcidæ voluptates: In Henrico III.  
Franciæ rege , cùm solus esset , atrox & magni  
alicujus facinoris prævia meditatio : hyberno  
maximè tempore , quo Melancholiâ pleumq;  
vexabatur. Tunc enim domestici tractabile  
eius, reliquô anni ingenium morosum & diffi-  
cile experiebantur : tūc parcisomni erat, & to-  
tam noctē vigilans, aut temporius surgens: IV.  
viros à secretis epistolis , & Cancellarium tra-  
ctandis assiduè negotiis fatigabat. Denique  
parum illo tempore à furore aberat. Natu-  
ram ejus Cevernius, qui pueritiæ ejus admotus  
erat, optimè noverat: qui & fore prædixit , ut,  
si Guisius eum ultrà lacessere perget, ab eo sine  
strepitu in cubiculo quodam die interficeretur.  
(Thuan. XCV.)

[*Romana Civitas olim data.]* Id nisi vit-  
tuti olim Romæ precium erat. Veneti quo-

que summis Principibus volentibus, cupientibusq; jus suæ civitatis tribuerunt. Ut ineptus sit Cantacuzenus Imperator, qui lib. IV. suæ historiæ Crali Triballorum Principi exprobrat, quod se in Senatum Venetum adlegi passus esset.

*¶ At herculè nemo refert, quod Italia externa opis indiget, quod vita populi Romani per incerta maris & tempestatum quotidie volvitur ]* Certè Clādianis temporibus quindecim dierum alimēta nō amplius urbi superfuisse, Tacitus refert: (XII. Annal.) cùm magnâ Deūm benignitate, & modestiâ hyemis rebus extremis subventum est. At herculè olim ex Italiæ regionibus longinquas in provincia commeatus portabant: nec tunc infecunditate laborabatur. Sed Africam potius & Aegyptum Romani exercebant: navibusq; & casibus vita populi permittebatur (Tacitus XII. annal.) Verūm hodiè, quamquam Italia aliquot locis, ut apud Benacum, in Gallia-Cisalpina & Campania, amœna & fertilis sit, supra cæterarum regionum felicitatem: tamen alibi tellus frequētiâ mōtiū aspera est, aut nimio & maximè sterili æstu aret. Malis quidem aucteis, punicisq; & diversa fictium stirpe, olivis quoque abundant: sed frumento à Siciliâ & ex Oriente, deniq; à Belgicis Anglicisq; navibus advepto (ipſi Gedano, Lubecâ, Hamburgo petunt.) vivit. Ut inde dicendum videatur, quod hodiè navibus &

& casibus Italiæ vita permissa est, non tam hominum ignaviâ & agriculturæ neglectu quam soli infæcunditate fieri. Quod nec Turcis ignotum est: qui superioribus annis Amurathi Imperat. suo, post res in Persia compositas, quod arma verteret, ambigenti, suadebant pluribus partibus eod. tempore, maturâ jam messâ vim in Italiam faciendam esse. Ita populos in urbes compulsos, annonâ deficiente ad ditionem, & imperata facienda nullo negotio cogi posse. Nam vix in pace, cum messis per ocium colligitur, ad tot populos alendos eam sufficere, & è Sicilia ac Oriente, atque longinquis ad Septentrionem positis regionibus frumentum difficultissimis subvectionibus coemere. His accedere, quod homines ferè in Italia opificio vivunt: quo per bella sublatâ protinus seditiones & defectiones secuturas: & prægrandes illas civitates fame & egestate pressas facile eò adductum iri, ut tributum pactæ, legem ab Ottomanis accipient. [Lazarus Superant in Othom.]

Hispaniam autem non soli vitio sterilem esse, sed habitatorum & agricolarum infrequency laborare verius puto. Erat enim olim fertilissima, & omne genus frugum feracissimâ, hominibus quoque abundantabat. Nec vanum est Roderici Archiepiscopi Toletani elogium, quod extat lib. III. rerum Hispan: Hispania quasi paradisus Domini verè principalibus fluminibus navigatur, scilicet Ibero, Doriâ, Tago,

Anâ & Bæti ; montanis inter quælibet interjectis : mediæque valles sui latitudine deserviunt ubertati, & humore fluminum fæcundantur, & pro magna parte rivis & fontibus irrigantur. Sed & puiteorum suffragia rarò defunt. Fæcunda frugibus , amœna fructibus , deliciosa piscibus , sapida lacticiniis , clamosa venationibus , gulosa armentis & gregibus , superba equis , commoda mulis , privilegiata castris , curiosa vino , deses pane , dives metallis , gloria sericis , dulcis melle , copiosa oleo , læta croco , præcellens ingenio , audax in prælio , agilis exercitio , fidelis domino , facilis studio , pollens eloquio , fertilis in omnibus &c. Et cultoribus ac habitatoribus olim frequentem fuisse , ut vetera omittam , argumento esse potest , quod Joh. Boterus [ quamquam non ignorem , Ælium Antonium Nebrissensem in decadibus multò minorem numerum edere ] scribit , Regem Granatensem contra Ferdinandum & Isabellam in aciem eduxisse c. cīo. equitum . Porrò idem Nebrissensis ex solâ urbe Granata xxīcīo. pedites per septem portas effundi solito testatur . Quod autem hodiè ad tantam hominum paucitatem redacta sit Hispania , tribus non immeritò rationibus adscribas . Prima est bellum inter Mauros & Hispanos per aliquot secula magnis ódiis ; & si Roderico Toletano credi par est , nō minoribus viribus gestum . Boterus rationem subduxit , intra tres menses utrinque cœsa se-

ptingenta hominum millia. Ex quo nosse possumus, quantum sanguinis ab utraque parte septingentorum annorum bellum hauserit. Pax secuta, & barbarorum fuga non reddidit vaginæ suæ enses Hispanicos. Bella Africana, Neapolitana, Mediolanensia, Indica, Batava immensum absumpserunt numerum. Altera solitudinis Hispanicæ ratio est, quod Ferdinandi Catholici & Emanuelis Lusitanicæ Regis editis plus quam octingenties mille Hebræi ex regnis illis exacti, & in Turcarum oras deportati sunt. Tertiò quod & naturâ sua & arte Regum, quibus ocium sibi periculosum amovere, & externa arma continuis bellis procul Hispaniâ tenere inter regni arcana est, assueti sunt Hispani odiisse ocium, tractare arma, & perpetuò militiâ sequi. [vide, quæ dixi in his paralip. s. ad lib. i. verb. intermisserat munia solita.]

Anglia quidem felicibus pascuis, & pabuli bonitate excusat ut spontaneam, sic utilissimam & ad ovilia factam sterilitatem: & jam Henrico VIII. Rege cæperant rari coloni esse, casæ rusticæ complanari, ac solitudines agriculturâ neglectâ armentis & gregibus frequentari. Sed exitiosum hoc fuisse regno consilium tunc quoque patuit: cautumq; idè fuit Principis constitutione, ut domus dirutæ reficerentur, coloni reducerentur, septa pascuorum refringerentur. Verùm tam sanctum præceptum precium, ut ferè semper, & Vuolsæus, apud

D 4

quem

quem venalia cuncta erant, rescidit. (*Polyd.*  
*Virg. XXVII. hist. Angl.*) Post illa tempora,  
 cum Elisabetha per summam iniquitatem a pre-  
 decessorib⁹ suis cōcessas Hanseaticis urbibus im-  
 munitates rescidisset, & lanæ Anglicæ pānorūq;  
 commercium in Germaniam propagasset: adeo  
 lucri dulcedo agriculturæ studium in contem-  
 ptum neglectumque adduxit, ut jam tunc Cæ-  
 cilius Reginæ a secretioribus Consiliis regno  
 exitium inde prædixerit. Nam valde indē nu-  
 merum hominum imminutum iri: pro milie  
 agricolis, gregibus pascendis decem sufficere  
 pastores: qui in otio & sub umbrâ, lacte &  
 semper ad os fistulâ viventes, bellicis laboribus  
 prorsus sint inepti. Et sanè jam tūm hominū  
 penuria in nobilium familiis, mercatorum ta-  
 bernis, & artificum officiis, in militia deniq;  
 que laborabatur. Sed præsens commodum futu-  
 ro damno potius habebatur.

¶ *Dites olim familiæ studio magnificentia  
 prolabebantur.*] Hæc causa plerasque in Au-  
 stria mea dites olim nobilium familias afflixit.  
 Incredibile est, quantum prodegerint in luxu  
 mensæ, vestis, equorum, domestici instrumen-  
 ti. Sola Bacchanalium insana pompa, in ho-  
 norem Cæsaris (ita loquebantur,) instituta, in-  
 tegra patrimonia abligurivit. Inde lapidum  
 & serici causâ nostra pecunia ad exteris gentes  
 translata est: Inde nobilium patrimonia, Ca-  
 stella, prædia, mercatoribus & fœneratorum  
 impro-

improbissimæ nationi cesserunt: Inde nova rusticis imposita onera, & nihil avaritiæ ac rapinis intactum: Inde virtutum neglectus: & tantum, qui per prodigentiam in aulâ noscebantur, in honore & oculis erant: Virtus obscura delitescere cogebatur. Tantò prudentius Sanctissimus Imperator noster Ferdinandus in superioris anni Bacchanalibus edixit, ne quis ex aulæ Proceribus in paratum ludicri festi ultra e. florenos insumeret. Serenissimus quoque Maximilianus Bavariæ Dux Elector aulam suo exemplo antiquâ parsimoniâ compositam habet. Abas denique, qui paulò antè Persarum Rex fuit, quamquam serico regnum abundet, non nisi lineam vestem Proceribus & populo concedebat; ipse quoque non alio cultu conspicuus erat. Sericum aliis gentibus vendebatur.

*[Sincerâ adhuc inter matrem & filium concordiâ, sive occultis odijs.]* Ex eo quoque quod Principium filiorum, etiam contra matres suas odia vetera, necheri tantum cognita sunt, apparet: *cunctis affectib. flagrantiorem dominandi libidinem esse.* Reginæ plerumque vel tute-  
læ potestate, vel saltem quod matri in filium omnia licere putant, tyrannidem nimis inten-  
dunt, nec tam filium Principem esse, quam se matrem, cogitant. Muliebre quoque fastigi-  
um pro diminutione principalis potestatis ac-

D. S.

cipi-

cipitur. Nero in matris usque necem duravit. Tiberius cum Livia, Michael Porphyro-genitus cum Theodora, Galeatius Mediolanensis cū Blanca Maria, matribus suis manifestas similitates exercuerunt. Et Reginæ Matris Mariæ Medicæ cum Ludovico Rege dissidia, regnū Gallicum aliquando distractura, publico bono in tempore composita sunt. Supereft denique adhuc Princeps maximæ indolis, qui ministris suis venatum ire recusantibus, matrisq; imperium obtendentibus; sibi rerum summam divino munere concessam, matris precarium imperium esse respondit.

*¶ Pompeij theatrum igne fortuito haustū  
Cæsar extructurū pollicitus est.]* Adnotavi hīc, quæ sint ædificia publica aut privata, quæ Princis magnificetiā deceat: dixiq; insaniā Neronis, qui domū ædificaverit, in qua haut perinde gémæ & aurū miraculo essent, quām arva & stagna, & in modū solitudinum, hinc sylvæ, inde aperta spacia & prospectus. Pyramides quoq; in Ægypto regū pecuniæ otiosa & stulta ostēatio fuerunt. Tamen faciendi eas causa à C. Plinio hist. nat. lib. XXXVI. traditur, quæ mihi valdè probatur, ne plebs esset otiosa. Egregia tranquillitatis publicæ conservandæ ratio: *occupatum tenere populum, pascereq; plebem.* Potentiores honorum satietate, oppidani negotiationib. & mercaturâ, tenuiores victus quārendi occasione subministrâ in officio continentur. Inde Pisistratus, quos in foro otiosè ob-

errantes videbat, ad se vocatos his verbis interrogabat : Si tibi boves aratores mortui sunt: de me alios cape; sin semina non habes, de meo dentur tibi. (*Aelianus variarum histor. IX. c. XXV.*)

---

## Ad librum IV. Annalium.

¶ *Mox Tiberium varijs artibus, &c.]*

Illorum, qui Seiano similes in animo Principis omnia possunt, primam artem dixi, dominum ab intima rerum cognitione, quam maximè possunt, excludere, atque ad vitam molli ocio degenerem impellere, sibique omnium adrogare arbitrium. Quò pertinet, quod Abas Persarum Rex, cuius jam saepius mentionem fecimus, cum ab amico reprehensus familiariter esset, quod nimia popularitate, assiduoque sui conspectu majestatem minueret, quam Turcarum Rex paucissima sui ostentatione egregiè tueri sciret, respondisse fertur : Has voces à ministrorum fraudibus & ambitione esse; quibus Principes in regiæ suæ solitudinem deportare inter artes sit: quo ipsi tutius peccent. Veram regnantis magnitudinem esse, audire omnes, omnia scire, & jubere omnia.

Ejus, quod scripsi, vicinos Principes solere tantæ potentiae viros, clam vel muneribus aggredi, vel omni honore, cultuq; penè ut æquales, colere, exemplum est, Thomas Vuolsæ-

D 6 us

us Angli regni Cancellarius: quem Franciscus I. Galliae rex literis suis modo dominum, modo patrem vocando, simulandoque se plurimum ejus consiliis deferre, adeo suum fecit, ut homo vanissimus Tornaci reddendi negotium paulo post regi confectum daret. Porro mira res est, sed vera tamen, quod in Hispania ex auro Indico claves fabricari narrant, quibus omniū Principum sacraria recluduntur: & quod majus adhuc est, & fidem superat, Tagum aliquando Pyrenæos transcendisse, seque in Ligerim, & Sequanam exonerasse, Gallia magno suo malo sensit. Dicam sine ambagibus; aurum Hispanicum in plerorumque Principum aulis immane quantum splendore suo plurimum oculos perstringere dicitur. Et Principes quidem suo jure, quibusunque modis aliena secreta expisciari se putant: Illorum autem qui munieribus, summoque honorum fidem suam immo- lant, nunquam excusanda perfidia est.

Quod Reges immensis donis non amari, sed si quid in illis, quos sic extollunt, veræ amicitiae fuit, imprudenti liberalitate extingui dixi; duabus Taciti sententiis comproba- tur, quarum prima de Vitellio est; III. histor. amicitias, dum magnitudine munerum, non constantia morum contineri putat, meruit magis, quam habuit. Altera ibidem: Liberalitas, nisi ad sit modus, in exitium vertitur.

Sejani artes, quibus ad tyrannidem, & ad eri-

etipicendum Tiberio imperium grassatus est; hinc inde Tacitus recenset, & ego velut in fasciculum collegi. Illustria magis erunt, quæ dixi, si, quas hic apponam, binas historias cum Seiani actis contenderimus. Perennius quidam post Marci Antonini Philosophi mortem, a Commodo, qui patri succederat, Praetorio prefectus erat. Is Imperatorem juvenem & insidiis facilem nactus, statim ab initio sceleratas spes concepit. Primum illud artificium fuit, voluptatum illiciis adolescentem corrumpere, atque ab omni publici cura avertere. Inde immensam auri cupidinem ut expleret, paternos Comodi amicos & nobilissimum quemque ac ditissimum calumniis, & fictis crimini bus ad mortem adegit, bonaq; damnatorum ipse invasit. Filii denique sui, ut Illyricis exercitibus præponerentur, impetravit. Jamq; matutum scelus videbatur, Imperator omnium ignarus, paterni ejus amici occisi, praetorianæ cohortes, & Illyrici exercitus, quorum tum maxima vis, per licita, per illicita corrupti, ingens pecuniae vis, cætera denique parando regno subsidia & instrumenta: cum subito pefacta conjuratio Perennio exitium attulit. (*Herodianus lib. II.*) Guilielmus, qui postea Mali cognomentum adeptus est, Siciliæ, Apuliæ, Calabriæ Rex, Majonem quendam, patre ortum, qui Bari oleum vēdere solebat, primū ab epistolis habuit, inde per gradus magnum Regni No-

mo-

mothetam, & postremò Admiratum fecit. Ani-  
 mus Majoni erat sui obtegens, in alios crima-  
 tor: arrogantiâ, avaritia, &, cum conduceret,  
 prodigentia, postremò libidine cuncta offen-  
 debat, ac polluebat: nec malis, bonisq; artib.  
 mixtus: pravitate tantum & nocendi vi vale-  
 bat. Hic igitur summâ adipiscendi libidine agi-  
 tatus, quo facilius voto potiretur, Hugo-  
 nem Panormitanum Archi-episcopum, apud  
 regem, apud proceres, & plebem variis artib.  
 potentem consiliorum socium adsciscere sta-  
 tuit. Ne autem sceleris atrocitate deterreretur  
 Hugo, dissimulatâ regni cupidine, ignarum  
 regem, impuberes ejus filios, pessimam regni  
 conditionem facundè miserari Majo accepit.  
 Amoto rege, pueros regno, & regnum pueris  
 tutò servari posse. Ita salutis publicæ curam  
 ambitio obtentui sumpsit: & juramento firma-  
 ta est scelestâ actio. Sed quia florentes in aula  
 proceres, & honestis consiliis locus moram  
 cupitis afferebant: cunctos, quos adversos sibi  
 fore putabat, vi, dolore corripere aggreditur.  
 Regem palatio clausum calumniis & suspicio-  
 nibus implet, sævitiâ, immanitate imbuit: &  
 præterquam sibi & Hugoni omnibus aditum  
 ad eum præclusit: ut inde rumores de morte il-  
 lius divulgati Siciliâ & Apuliam universam se-  
 ditionibus & turbis compleverint. Præcipuus  
 erat inter proceres virtute & fide Gotfredus  
 Montis Canosi Comes. Hunc ut ab Rege aba-  
 lienâ

lienaret, Regi Neetum, naturâ & arte situquâ  
munitissimam, simul & amoenissimam sedem,  
cujus præfecturam habebat Gotfredus, ei eri-  
pere persuadet. Quâ injuriâ irritatus Gotfre-  
dus, ipse quoque rebellibus accessit. Sed po-  
stea captum, orbatumque oculis, perpetuo  
carceri Rex addixit. Simon Polycastrensis Co-  
mes variis criminibus oppressus in carce-  
re periiit. Robertus Loricelti Comes, Robertus  
Surrétinus, Everardus Squillacensis, Guiliel-  
mus Elefinus, Boëmündus Tarsensis, Rober-  
tus Bovensis, & plures alii variis petiti criminib-  
us, & Everardus Squillacensis ob id tantum,  
quod Majonis consilia, & eorum, qui secesse-  
rant, desideria ad regem detulisset, vinciti, & ex  
iis, nonnulli vita, alii oculis & linguâ priva-  
ti. Sublatis proceribus, Majo suæ factionis  
homines substituit. Simonem Sororium toti  
Apuliae, & Neapolitanæ regioni, Stephanum  
fratrem regiæ classi præfecit. Proximum con-  
silium fuit sacerdotes beneficiis, milites Italos,  
Longobardos, Francos donis, populum largi-  
tione, & per speciem clementiæ allicere: quos-  
dam pecuniâ, aut gratiâ juvare: inserere saepius  
querelas, & ambiguos de Rege & nobilitate  
sermones, duriora Regis edicta moliori inter-  
pretatione mitigare: quæque alia turbamenta  
vulgi: denique eò vecordiæ procedere, ut dia-  
dema, aliaque regni insignia novo regno para-  
ta multis palam ostenderet. Unde nova quo-  
rundam

rundam Apuliæ Magnatum in Majonis necem  
conspiratio exorta est. Calabri quoque hacte-  
nus immoti in turbas abierunt. Millus denique  
Majonis gener, Matthæus Bonellus, ipse quo-  
que in partes clàm transiit, sed quò dissimula-  
ret defectionem, in aulam rediit. Nec minus  
interea de Rege tollendo Majo sollicitus erat.  
Verum dùm de amovendo Rege, de filiorum  
ejus custodia, de thesauris servandis, de sedan-  
dis populi rumoribus, ipse & Hugo Archiepi-  
scopus consilium capiunt: tandem de thesau-  
rorum puerorumque custodia, quam uterque  
sibi deberi ajebat, contentio oritur: quæ in  
infestissimum utrinque oditum desiit, & Majo-  
ni tandem exitiosa fuit. Febru decumbebat Hu-  
go: cui cum pro medicamento virus miscisset  
Majo, neque dolis Hugonem lateret: iisdem  
artibus grassandum ratus hominem per bene-  
volentiae speciem lectulo assidentem, & salu-  
berrimi medicaminis virtutem commendantem  
variis sermonibus in multam noctem detinet:  
& interea Matthæum Bonellum tempus pa-  
randæ diu cogitatæ rei advenisse per internun-  
cium monet. Igitur cùm infecta tandem re Ma-  
jo discessisset: per tenebras à Bonello & sociis  
excipitur, & lethali vulnerè confosius trucida-  
tur. Nec tamen morte ejus quies regno re-  
diit. Longus tragœdiæ subsequutæ ordo est.  
Bonellus denuò à Majonis factione apud Re-  
gem delatus, & ad arma compulsus, nova Pro-  
cerum

terum fœdera, Rex à conjuratis captus, & mors  
à plebe Panormitanâ liberatus, direpta gaza re-  
gia, Rogerius Regis filius, dum per fenestram  
turris incauto prospectu caput exerit, sagittâ  
percussus; Bonellus perpetuo mancipatus car-  
ceri, procerum mors aut fuga, urbium eversi-  
ones, quæque alia solita régibus, qui mobilita-  
te civium pulsi, arma per dominationem resu-  
munt. Quæ omnia Thomas Fazellus, & Hu-  
go Falcandus Hist. Siculæ scriptores latè exc-  
quuntur.

Quod dixi ministros Principum commissa si-  
bi negotia ita plerumque gerere, ut sui magis  
commodi, quam domini rationem habeant,  
Domitii Corbulonis, & Andreæ Auriæ sum-  
morum Imperatorum exemplis comprobatur.  
Corbulo nulla evidenti necessitate coactus ex-  
ercitum Romanum à Tigranocertis deduxit:  
deseruitq; per otium, quæ bello defenderat:  
atque distulit arma, ut Vologeses hostis cum ali-  
o, quā cū Corbulone certaret: Corbulo me-  
ritæ per tot annos gloriæ periculum non face-  
ret. (Tacit. XV. annal.) Andreas Auria, quan-  
quam ad Nicopolim prope Actiacum promon-  
torium, anno à Christo nato M. D. XXXVIII.  
tcerta spes esset vincendi classem Turcicam, con-  
fligere tamen noluit. Amicitia illi cum Hari-  
adeno Ahenobarba hostium Imperatore olim  
in Gallia contracta: multa hinc inde commen-  
tibus nunciis inter illos acta. Dux rostrata na-

E yes

ves pridie quām hostis se in conspectū nostrę clas-  
sis daret , vespere ex Ambracio sinu egressæ: qua-  
rum una in Siciliam delata Panormi in portu  
aliquandiu substitit , altera cum propè ad Au-  
riæ prætoriam accessisset, postea se in sinum rece-  
pit. Augebat suspicionem quod Auria trire-  
mum Hispánicarum malos , & antennas atro-  
colore infici mandaverat: scilicet ut à cæteris in-  
ternoscerentur. (Mauroten. V. histor. Venet.)

*¶ Dubitare cogor , faro & sorte nascendi.*  
 Ut negari non potest , aliquos per virtutem sib-  
 ad honores gradum fecisse: ita quibusdam for-  
 tuna pro virtutibus fuit : & multis fata per ca-  
 sum & fortuita favorem aulæ conciliarunt. Ti-  
 berius vescebatur in villa , cui nomen spelunca  
 nativo in specu. Ejus os laspis repétè saxis ob-  
 ruit quosdam ministros ; hinc metus in omne  
 & fuga eorum qui convivium celebrabant. Se-  
 Seianus genu , vultuque & manibus super T-  
 berium suspensus , opposuit se incidentibus  
 atque habitu tali repertus est à militibus , qu-  
 subsidio venerant. Major ex eo , & quanquam ci-  
 citiosa suaderet , ut non sui anxius cum fide audi-  
 ebatur. (Tac. IV. Annal. ) Aliud exemplum ha-  
 bet in Icone animorum Joan. Barclaius : Prin-  
 ceps , inquit , cum equo in itinere prolapsus affli-  
 eto latere febricula tentabatur. Quidam e-  
 aulâ tristi perculsoque , ut videbatur , vultu  
 tota nocte institit insomnis. Sive ars sive p-  
 etas fuit , ita domini animum permulxit , ut ne-

m

modo deinde gratosior haberetur. David Rizius cantandi peritia primū in aula Scotica innotuit. Qui nuper in Britanniā sicarii manus cecidit, Buchingamiaē Dux ob saltandi scientiam à Jacobo Rege primū in aulam, mox penè in sceptri societatem adscitus est. Denique, tali casu Concinus Mariæ Mediæ favorem, opes, dignitates, & cæterā virtutis præmia obtinuit. Quærebat illa Regi sponso munus: equum tota Italia generosissimum. Hunc in ipsa urbe Florentiā Concinus habuit, obtulitq; dono præcium offerenti. Inde cum Lugdunō cæteri ex Italicis Proceribus domum remitterentur, ipse in familia Reginæ retentus, perpetuam ejus gratiam, sibi tamè postremò, non sine aulæ Gallicæ magno motu, exitiosam habuit.

*¶ Non ignarus, quantum ex Rep. petere-*  
*tur.)* Explicavi hunc locum ad lib. I. (verb.  
 pridem invisus &c) Illis addē, quod Guilelmus I. Si-  
 ciliæ Rex lege sanxit, ne Virginibus nobilibus  
 sine sua veniā nubere liceat. (Thō. Fazell. lib.  
 XXVI. hist. Sicul.) Et Paulus IV. Pont. Ioan-  
 næ Aragoniæ Ascanii Colunæ, qui Pontifici  
 hostis fuerat, uxori filias suas sine suo consen-  
 su elocate interdixit.

*¶ Pacem exuere: nostra magis avaritia*  
*&c.]* Vehementer falli Principes, qui à di-  
 tibus civibus sibi periculum, ab exhaustis, &

E 2 ex-

**e**x carnificatis securitatem promittunt, clarissimè in notis ostensum est. Illa scitissimè illustrantur scitis Parasiti Plautini verbis in Menæchmis.

**H**omines captivos qui catenis vinciunt,  
Et qui fugitus servis induunt compedes,  
Nimis stulte faciunt, meā quidem sententia.  
Nam homini misero si ad malum accidit malū,  
Major libido est fugere & facere nequiter.  
Nam se ex catenis eximunt aliquo modo:  
Tum compediti januam lima proterunt,  
Aut lapide percutiunt clavum: nugæ, sunt merae.  
Quem tu asservare rectè, ne aufugiat voles:  
Esca atq[ue] potionē vincire decet.

**A**pus mensam plenam homini rostrum deliges,  
Tum tu illi, quod edat, & quod potet, præbeas,  
Suo arbitratu, & affatim cottidiè.

**N**unquam ædopol fugiet, tametsi capital fecerit.  
Facile asservabis, dum eō vinclō vincies.  
**I**ta istæc nimis lenta vincla sunt escaria.

**Q**uam magis intendas, tanto adstringunt altius.

**P**ræscripsi ad hunc locum æquissimam cau-  
tionem ea tributi nomine exigere quæ qui-  
busque locis vilissima habentur. Hoc modo  
Romani à Frisiis ( Tac. hic ) & Angliæ Reges  
ab Hybernis ( Polyd. Virg. XIII. hist. Engl. ) coria  
boum, & præterea Romani à Siculis frumen-  
tum, à Corsis ceram sumebant. Veneti à Ju-  
stinopolitanis vinum, à Polanis oleum exige-  
bant.

bant. (P. Marcell. in gest. duc. Venet.) Edgarus  
Angl. Rex Ludovallo Vallorum Principi ve-  
tigalis nomine in annos singulos trice nos lupos  
imperavit (Polyd. Virg. VI. hist. Angl.)

Ad Exempla illorum Principum, qui quod  
frugalitatem & largiendi modum quendam  
tenerent ad exercitus sustentandos & viros pre-  
stantes præmiis afficiendos, cæteramq; regi-  
am liberalitatem pecuniæ satis habuerunt, ad-  
de, quod Henricus IV. Gall. Rex, ille, qui  
initio regni paulò ante Arquensem pugnam se  
Regem sine regno, maritum sine uxore, mi-  
litum Imperatorem sine pecunia dixerat, æra-  
rium XVII. millionibus ditavit: & quod magis  
mirere, tantundem Augustus Saxoniz Dux &  
Elector comparsit.

## Ad librum V. Annalium.

¶ Dicax idem, & Tiberium acerbis facetijs  
&c.] Jocos, qui multum ex vero trahunt, a-  
crē suī memoriā relinquere, quod dixi hīc, idem  
à Macrobio in septimo Saturnaliū asseritur  
his verbis: Sunt scommata, quæ in superficie  
habent speciem contumeliæ, sed interdum non  
tangunt audientes, cum eadem, si obnoxio  
dicantur, exagitent: ut contrā sunt, quæ spe-  
ciem laudis habent, & personam audientis effi-

E s ciunt

ciunt contumelię plenam. De priore genere  
prius dicā .L. Quintus Prætor de provincia nu-  
per reverterat, observatā (quod mireris Domi-  
tianis temporibus) præturæ maximā castitate. Is-  
cum æger assidenti amico diceret, frigidas se ha-  
bere manus, renidēs ille ait: Atque eas de pro-  
vincia calidas paulò antè revocasti. Risit Quin-  
tus, delectatusque est: quippe alienissimus à  
suspitione fūrtorum. Contra, si hoc dicere-  
tur male sibi conscio, & sua funta recolenti: ex-  
acerbasset auditum. Et quæ ibi plura in eun-  
dem sensum sequuntur.

## Ad Librum VI. Annalium.

¶ *Ablata erario &c.] Nihil magis commu-*  
*ne est, quā ad militem alendum, ad urbes, &*  
*oppida munienda, ad vim fluminum coercen-*  
*dam, & cæteras publicas necessitates exigere,*  
*quod denique per vanitatem & luxum, atq; pro-*  
*digentiam consumant principes. Pauci sunt*  
*qui Athalaricum Gothorum Regem imitari ve-*  
*lint: qui cum pecunia pro mænibus reparandis*  
*extorta provincialibus, in alios usus adhibita*  
*diceretur, aut restitui illam, aut mænia, si opus*  
*esset, refici scivit. Nimis enim inquit, absurdum*  
*est, spondere munitiones, & dare civibus exe-*  
*crabiles vastitates. (Hiero. Rubeus III. Hist, Raven.)*

¶ *Ut genus Arsacis ripam apud Euphra-*

*tis cerneretur.] Matoboduus Suevorum Rex  
duo de viginti annos Ravennæ à Tiberio ha-  
bitus, si quando in solescerent Suevi, quasi re-  
diturus in regnum ostentabatur (Tac. II. Annal.)  
Et Cn. Agricola, qui in Britannia exercitibus  
Romanis præsidebat, expulsum seditione do-  
mestica, vnum ex Regulis Hybernicis recepit,  
ac specie amicitiæ in occasionem turbandarum  
illarum gentium retinuit. (Tac. in Agr.) Cætera  
dixi ad hunc locum, & ad lib. i. verbo, cuncta inter  
se connexa.*

*¶ Consilijs & astu res externas moliri.]  
De suspecta Proceribus Germaniæ Imperatorum  
potentiâ satis multa ad hunc locum dixi. Porrò,  
quanquam Pontificis autoritas omnibus Italie  
Principibus sacrosancta est: tamen ob familiare,  
quam in Notis attigimus, Regibus æmulatio-  
nem, nec illi augeri pontificiam ditionem æquis-  
ferunt animis. Et Hisp. quidem Rex non pot-  
est non expavescere potentem Pontificem: non  
modo, quod inter vicinos & accolas odiorum  
bellorumque causæ facile exardescunt: sed &,  
quod injuriis lacefisse Papas conscius sibi sit,  
vindicemq; metuat: nec ignoret, exosam esse  
Italis Hispaniensem dominationem: eamque à  
nullo subverti promptius posse, quam à Pontifi-  
ce. Venetis quoque nulla potentia placet, quæ  
nimia est: & arbitrium rerum Italicarum, quod  
nunc vel soli, vel cum Pontifice conjunctum*

*E s ha-*

habent, in alium, quicunque tandem is sit, transferri nollent. Denique agrum Rhodignum tenent, partem olim ditionis Ferrariensis, atque ad eò Pontificiæ. Magnus Hetruriæ Dux undique ditione Pontificis circumcluditur & Papas in quædam Hetruriæ loca, in quibus est Burgus S. Sepulcri: Jura quedam antiqua sibi alserere, ignorare non potest. Reliqui, minorum, ut ita dicam, gentium Principes, ac Respub. præsentem retum statum amant, & unius prævalidas vires, quibus utiq. in prædam cōcessuri essent, magnoperè verentur. Adeundem locū hunc dixi, plerosque Principes opinâri, bello inter Hispanū, & Batavos suā salutem contineti: illoque velut necessariô cauterio nimias Hispaniæ Regis opes egeri. Sanè Elisabetha Angl. Regina, totô regni tempore vel patrocinii, vel fæderis prætextu constantissimè Batavos tutata est. Suetiæ Rex, quanquam nihil ab Auroraisionensi sperare posset, tamen eodem Austriacæ potentia metu spretis ingentibus Philippi II. Regis promissis, ei magnorum navigiorum, quibus abundabat, usum denegavit, ob eandem causam semel atque iterum Austriaci Principes à Comitiis Poloniæ rejecti sunt: ne accedente ad Bohemiam & Ungariam, tam latè patente regno, ejus benificio Gedani potentes, interdicto cōmercio, negatoque frumento, ad officium Batavos cogerent.

Quam

¶ Quām si qui internorum, &c. Ministris sceler. &c. Notavi alibi in externum militem has cautiones, I. Numerō inferior sit ex nostris cīvībus lectō milite: ut hujus metu disciplinam pati discat. II. ductores accipiat ex nostris, quorumq; nobis explorata fides sit. III. Castris contineatur: & in acie virtutem ostendat: prēsidia & loca munita civium fidei concredantur. IV. Aut si urbium custodiam illis quoq; committere necessitas suadeat, vigilias nunquam soli, sed cīvībus permixti obeant. V. Stipendia eis justō tempore & maximē posito bello solvantur, ne magno cum subiectorum damno manendi prædandiq; occasionem & prætextum inveniant.

¶ Ac si statim interiora, ceteraq; nationes petivisset, oppressa. &c.] Turbas et hostes Tyridates, junxit set se amicis, firmasset dubios, & qui ad inimicos inclinabant mutare consilia coacti fuissent. Nunc assidendo castellum hosti spaciū dedit arma virosq; cogendi: & amicos prodidit, & qui ad ipsum transiissent, si tutō licuisset, nunc metu subsistere, & nihil movere adacti sunt. Barbarorum impetus acres cunctatione languescunt, aut in perfidiam mutantur. (Tas. XII. Annal.) Et deniq; generaliter dicendum est, meliori plerumq; conditione esse, qui invadit hostem, quam qui sustinet. Nam & pulsu sonituq; ac nube ipsa operit, ac superfun-

E 6 dit

dit, & turbat omnia, disiicitq;, qui aggredi-  
tur, & proventus regni nervumq; belli gerendi  
adimit hosti: fruges, & agrorum redditus, aut in-  
suum ipse usum vertit, aut quo magis incom-  
modet, corruptit: iis quos in regno infensos  
habet hostis, occasionem præbet jungendi socia  
arma: denique aut vincit, aut parvo cum dam-  
no rerum suarum vincitur: maximè ubi procul  
à domo bellum geritur.

*[Consilium, cui impar erat, fati permisit.]*

Sæpè desperatis rebus tempus medetur, & quæ  
ineluctabilia videbantur, fatum, & fortuna con-  
fecta dederunt. Florentini non semel in per-  
dendæ libertatis articulo erant: cum salus, unde  
minus sperabatur, affulsit. Utçum Castrutius  
Castracanus subità morte sublatus: iterum, cum  
Henricus Luxemburgus Imp. Bonconventi, &  
alio tempore, cum Gregorius Pontifex Sere-  
zanæ extinctus est. In eadem felicitatis parte  
ponenda fuit Joh. Galeatii ducis Mediolanensis  
mors: & quod Albericus Cuneus, cum mox ur-  
bis potens futurus videretur, majore rerum  
necessitate in regnum Neapolitanum avocatus  
est. Alphonsus itidem Aragonius cum poti-  
endæ Genuæ, quam obsidebat, haut dubiâ spe  
teneretur, morte suâ Genuensibus victoriam  
peperit. Superioribus annis quorundam Im-  
perii Principum consiliis & molitionibus Hen-  
ricus I V. Franciæ Rex, Cæsareo nomini & fa-

stigio

stigio destinabatur. Consilii hanc fuisse seri-  
em ajunt. Dignierius Allobrogum duci, Ve-  
netisq; & Liguribus junctus, Mediolanensem  
ducatū, deinde quicquid restitisset, violentiā  
disjecto, Hetruscis, Romanisq; supplementis  
adjunctis Neapolim & Siciliam invadere debe-  
bat. Ipse Rex copias, quibus Catalaunici Cam-  
pi horreabant, in duos exercitus divisurus erat.  
Unum Mauritio Naslovio, alterum sibi reser-  
vabat: quorum ille Alberto Archiduci bellum  
illatus, hic Britannicis auxiliis robustior  
Walliae Principe ductore ad Imperium propera-  
bat. Anhaltinus Princeps, Marchio Bran-  
deburgus, alii regem in Lotharingię finibus ma-  
gno cum exercitu suscipere debebant. Pul-  
cherrimus hominum & fortunae in Henticum  
consensus videbatur: cum ille improviso, &  
sanè nefario vulnere orbem fœderatorūq;  
spes destituit. Quæ addi debent iis,  
quæ alibi de humanę pruden-  
tię incertitudine differui.



76  
N E P A G E L L Æ  
QUAEDAM VACARENT,  
HONORIFICA DE TACI.  
TO TESTIMONIA QUÆDAM  
adjungere viſum est.

Plinius jun, lib. 2. Epist. 1.

Laudatus est Verginius à Consule Corne-  
lio Tacito. Nam hic felicitati ejus supremus  
cumulus accessit, laudator eloquentissimus.

In eodem libro epist. 11.

Respondit Cornelius Tacitus eloquentissimè, & quod eximium orationi ejus inest, στ-  
μυῶς.

Idem lib. 7. epist. 33. ad Tacitum.

Auguro, nec me fallit augurium, historias tuas immortales futuras.

Flavius Vopiscus in Imp. Marco  
Claudio Tacito cap. 10.

Cornelium Tacitum, scriptorem historiæ  
Augustæ, quod parentem suum eundem diceret,  
in omnibus bibliothecis collocari jussit: & ne  
lectorū incuria deperiret, librum per annos sin-  
gulos decies scribi publicitus in archivis jussit,  
& in bibliothecis ponit.

Sidonius

**Sidonius Apollinaris in panegyrico  
ad Anathemium.**

*Qua Crispus brevitate placet, quo pondere Varros,  
Quo genio Plautus, quo flumine Quintilianus,  
Qua pompa Tacitus nunquam sine laude loquendus.*

**Idem in Epigram.**

*Et te qui brevitate Crispe polles:  
Et qui pro ingenij fluenti nulli  
Corneli Tacite es tacendus ori.*

**Andreas Alciatus J. C. in epist. ad  
Galeacium Vicecomitem.**

*Ut cæterorum historicorum laudi  
detrahere nihil ausim: ita Cornelii Taci-  
tum nulli cedere constanter affirmo. Cer-  
tat sermonis gravitas cum elegantia, ma-  
vultq; aliqua animo lectoris cogitanda  
relinquere, quām longis eum narrationi-  
bus oneratum dimittere. Qua ratione fit,  
ut tametsi delicatioris stomachilectorum,  
ejus nunquā satietas capiat, cū hujusmodi  
viris etiam lactea Livii ubertas plerumq;  
fastidio sit: ut, sicut illi non nisi inepte ali-  
quid addideris, ita huic non nisi temere  
quicquam detraxeris.*

*Iustus Lipsius in Dedicazione Taciti, ad  
Imp. Maximilianum II.*

Acer scriptor, Dii boni, & prudens: &  
quē si unquam in manibus hominū  
versari utile fuit, his certe temporibus, &  
hac scena rerum expeditat. Hic mihi quis-  
que Principum aulas, Principum interio-  
rem vitam, consilia, iussa, facta cōsideret,  
& obvia in plerisque nostrorum temporū  
similitudine, abiisdem causis Pares exitus  
animo præcipiat. Invenies sub tyrranni-  
de adulatio[n]es, delationes, non ignota  
huic seculo mala: nihil sincerum, nihil  
simplex, & nec apud amicos tutam fidem:  
frequentatas accusationes majestatis, uni-  
cum crimen eorum qui crimine vacabāt:  
cumulatas illustrium viorum neces, &  
pacem quovis bello sæviorem. Accedit  
genus ipsum sermonis minimè sordidum  
aut vulgare, distinctum crebris & nescio  
unde ex abdito erutis sententiis, quas vel  
veritate, vel brevitate, vicem oraculi pos-  
sis accipere.

*Idem in allocutione iterata.*

Magnus

Magnus scriptor est (Tacitus) & qui  
 propriæ facit magnis: id est, iis qui  
 tractant Reipub. clavum, aut à Consiliis  
 monitisque tactanti adsunt. Quæ pars  
 prudentiæ est, militaris sive civilis: quis  
 affectus hominum, et si occultus: qui ca-  
 sus aut eventus rerum, quos iste non pa-  
 lam aperit, aut sub velo ostendit? Au-  
 deo & debeo asserere, hunc hominem  
 videti in alta quadam specula rerum hu-  
 manarum fuisse: & illinc gnarum sci-  
 entemque proclaimare, Hoc cave, hoc  
 facito: Juuabit, aut lædet: Ille & ille ef-  
 fectus erit. &c. Non est in Græcis, aut  
 Latinis, & fidenter dicam, non erit, qui  
 prudentiæ omnigenæ laude huic se cō-  
 paret: adeò non veremur, ne quis ante-  
 ponat. Singulæ paginæ, quid paginæ?  
 singulæ lineæ, dogmata, consilia, monita  
 sunt: sed brevia sæpè, aut occulta, & o-  
 pus sagace quadam mente ad odoran-  
 dum & assequendum. &c.

*Ioannes Mariana lib. 2. cap. 6. de Re-  
 gis institut.*

Tacitus horrida oratione atque spi-  
 nosa

hosa, sed argutâ in primis, magnum rerum  
thesaurum tegit, consilia Principum, ar-  
tes fraudesque aulæ. In alienis periculis  
& malis, quasi in speculo, nostrarum re-  
rum imaginem contemplari licebit. Ido-  
neus auctor quem nunquam Principes,  
nunquam aulici, deponant de manibus  
die noctuque versent.

Joan. Ovvenus lib. 2. epigr. 157.

*Veracem fecit probitas, natura sagacem,*  
*Obscurum brevitatem, gravitasq; brevem*

F I N I S.



Lit. Rom. B.  
4084

